DE

ANNVLO PRONVBO
Deiparæ Virginis

Qui Perusiæ religiosissimè adseruatur,

IO. BAPTISTAE LAVRI
Perusini P. A.

COMMENTARIVS.

Ad Illustriss. & Excellentiss.
D. D.
FRANCISCVM
SPATAPHORVM
Principem Malerti, Roccellæ Marchionem, &c.

Romæ, Typis Andreæ Phæi, 1622. Superiorũ permissu.

ILLVSTRISS. ATQ. EXCELLENTISS. D.D.

FRANCISCO SPATAPHORO MALETTI PRINCIPI, Roccellæ Marchioni, &c.

Io. Bapt. Laurus Peruſ. Prot. Apoſt. S.D.

ERat in membranis hæc de Pronubo MARIAE ANNVLO ad hunc modū adornata ſcriptio, tantiſper adhuc premenda, dum pauca quædam e Pontificum Statariis Scrinijs in Vaticano eruerentur; pauciora è Tabulis Vrbium Peru-

ſiæ finitimarum: cum tua, humaniſſime Princeps, grauiſſima auctoritas tam ſerò interceſſit, qui in itinere Neapolitano feſtinans Romam, de ea lucubratione inaudieras, vt differre vltrà editionem non licuerit. Nam qui præcipuo in Deiparam cultu ſemper exarſiſti; eiuſdemque quidquid apud mortales Reliquiarum extat, vel vſurpatum oculis, vel auditione perceptum, ſanctè veneratus fueras: facere minus potuiſti, quin Sponſalem eius Teſſeram lectione ſaltem propius intuereris, nec ea quidem priuata contentus, qui ad Magnæ Matris gloriam, efflagitabas publicam. Accedebat eò, quòd vberrimum fructum

hu-

huius pietatis te dudum percepiſſe vltrò fatebaris. Ex quo enim de propitio Coniugibus Annulo, in lucem tuo hortatu celeriter proferendo, cogitaſti; ſecunda omnia tibi fluere viſa ſunt: ſic vt continuò illa nobis exciderint ad te de te:

Principe Spatapboro donaria digna iubemur
Prodere, adorati pignora vera thori.
Iſtæc quiſquis amat, cui ſint diſcordia lecti
Fœdera confeſtim ſentiet illa procul.
Mira fides! ex quo MARIAE tibi Gemma iugalis
Nota, Peruſinæ quam Patriæ acta probant:
Certa diu ancipitis thalami tibi gratia riſit,
Virginis arcana conciliata manu;
Nempe manu, quam preſſit Onyx, cinxitque beatus
Calculus. -------

Ceterum haud te poëticis numeris inaniter detineam, quos iampridem à Muſæolo meo iuſſi exulare: quanquam tuis, Maiorumque tuorum egregijs facinoribus decantandis heroica alieni Apol--

linis maieſtas aptè indulgere queat; ſi recenſere velit SPATAPHOROS tuos vel Cæſares ipſos veros, aut in Cæſarum familiam adſcitos Acarnaniæ, Aetholiæ, ſparſiſque per Europam regionibus imperitantes. Nam ISAACIVM Comnenum, ſplendidiſſimum inter gentiles tuos ſidus, quis ignorat, ſtatim atque potitus eſt imperio, propterea quòd eximium bellicæ virtutis ſpecimen ediderat, in regio Numiſmate SPATAPHORI cognomen ſcriptum prætuliſſe, & exertum atque obarmatum gladio brachium tuæ familiæ auguſtiſſimum inſigne, palam oſtentaſſe? Atque hic militarem gloriam au-

xit

xit faciendo : IOANNES ſcribendo illuſtrauit, cuius frag menta hiſtoriarum hic ex Aniciana Gregoriani Collegij Bibliotheca haurias ; integra Commentaria, ad eorum, quæ apud te ſint, fidem adſtruendam, in alia Columnenſi videre eſt . Conſultò prætereo CONRADVM SPATAPHORVM, de quo tam multa Neapolitanarum rerum Scriptores commemorant ; quemadmodum, qui res Siculas ſunt perſecuti, CONRADVM iuniorem nominant, qui, cum Siciliæ Regnum feralibus diſſidijs ſub Ludouico conflictaretur, eidem mira animi magnitudine ac virtute præſidium tulit . ROGERIVM & GVLIELMVM abundè com--

mendat præcipuum in Reges Aragoneos ſtudium: DOMINICVM, qui D. Dominici inſtituta profeſſus erat, doctrinæ ac ſanctimoniæ laus vſqueadeò, inde à ſuperiore ſæculo ineunte, illuſtrem reddidit, vt vel mortuus ſuauiſſimum odorem efflarit, & viuos, editis miraculis, in ſui cultum ſalutariter attraxerit. Horũ omniũ imitatores ſtrenuiſſimos ſatis noſti ANTONIVM Schlafani, THOMAM Agurij Comites, tũ cognominẽ tuũ Auũ ſapientiſſimũ Virum, nec non Principẽ MICHAELEM parentẽ extitiſſe; quorum ego ampliſſima ornamenta à Philippo ij. & iij. Hiſpaniarum Regibus largiſſimo, quod aiunt, modio veſtro generi admenſa, malè

huc

huc congeram exilis ac ieiunus renarrator. Sed nimirum hæc pietati debetur in vestibulo piæ lucubrationis tui compellatio: & tu aliòqui, quæ natalium tuorum splendori est coniuncta modestia, respuas præfixas sacro argumento intempestiuas laudationes. Ergò religio priores partes occupet, & repetens animo Messanensium tuorum Virginale CHIROGRAPHVM, disce è nostris schedijs Virginalis ANNVLI haud ita multis intellectam Historiam; quo illa Vrbs, in qua ego primos hausi spiritus, meritissimò gloriatur. Quantulum autem distat, cum quis à summo Principe liberali munusculo donatur, aut amabili Epistola salutatur? Et verò, auctore

ctore Seneca, ſæpenumerò plus Annulis, quã animis creditur. Vulgatum igitur, te iubente, Commentarium, per ora, manuſque hominum tuo inſcriptum Nomini vagari patiere. Dũ enim nemo æquo animo de Pronuba MARIAE Gẽma hactenus incomperta ignorare voluerit (quod ſingulorum hoc æuo in Dei Matrem religio ſperare iubet) in viuentium pectus altè deſcendet, vigebitque in memoria poſterorum tua, Princeps excellentiſſime, erga cæleſte hoc Donarium pietas, erga Peruſinos meos amicitiæ argumentum, erga nos denique tuæ comitati arctè fœderatos beneuolẽtia nõ vulgaris. Vale. Romæ Kal. Apr. MDCXXII.

Ex Libro Piorum Carminum, quæ circumferuntur, illustriss. & Reuerendiss. Maphæi S. R. E. Card. Barberini

S. D. N. Signaturæ Iustitiæ Præfecti.

Ad Pronubum Deiparæ Virginis Anulum.

IMBRIFERIS ARCVS FVLGENS IN NVBIBVS ORBEM
EFFERA DILVVII DAMNA TIMERE VETAT;
SIC DEVS OMNIPOTENS VOLVIT. DECVS, ANVLE, MAIVS
EST TIBI, QVEM SVPPLEX VRBS PERVSINA COLIT.
ES GEMINO CONSTANS ARCV FELICIOR INDEX;
NAM PERAGIT VIRGO NVPTA SALVTIS OPVS,
VIRGINEO TERRÆ CONIVNGENS FOEDERE CÆLVM:
HAC DVCE NON PELAGI, NON STYGIS VNDA NOCET.

Carolus

Carolus Emanuel Card. Pius de Sabaudia Piceni Legatus

Io. Baptistæ Lauro S. D.

Romam.

ACcepi Centuriam Epistolarum tuarum, quæ nunc demum in lucem prodiuit: cui non & vna scriptum abs te de MARIÆ Virginis ANNVLO Commentarium? In opere ingenium, in munere beneuolentiam recognoui tuam. Scribenti gratulor, diligenti gratias ago. Ex eo laudis & nominis, quod vnum Viri eximij in votis habent, fructum colliges haud caducum: ex hoc illud tibi certissimum polliceri potes, meæ erga te voluntatis significationes tibi nullo tempore defuturas, cum mea opera vti volueris. Quæ de ANNVLO iam perfecta habes, quem Perusiæ sæpius summa cum voluptate & religione iuniores adspeximus, fac diutius ne desideremus. Vale Maceratæ V. Kal. Octobris MDCXXI.

Cæsar Cardinalis Gherardus

Io. Baptistæ Lauro S.D.

VIdi Selectas Epistolas tuas, in quibus & latini sermonis candorem agnoui, & nouum Opus de ANNVLO Diuæ Virginis te adornare intellexi: de quo vt eximia sperem, facit cùm illarum elegantia, tum quia exploratum habeo, antiquis monumentis & fide veterum te satis instructum esse, vt extremam huic operi manum imponas. Argumentum certè tractas ad inuidiam speciosum & præclarum. Nam Virgineæ Manus coronam calamo inseris, dum de Virginis ANNVLO scribis: vt dum hic laudatur, ille coronetur. Vale Romæ VI. Kal. Iunias MDCXXII

Franci-

Franciscus Diotaleuius Episc. S. Angeli Poloniæ Exlegatus

Io. Baptistæ Lauro S.P.D.

Romam.

TAndem aliquandò in Patriam redij, Polonica Legatione perfunctus, cui tot annos bona fide inseruiui: redij tamen ab illius Cæli grauitate pessimè acceptus, quòd malas mihi propè ambas edentauit. Iam tu amicum pereuterem atq; edentulum, & te vix biennio maiorem, videbis canis etiam obrutum. Hic verò dum sedulam reficiundis viribus operam do, ex longa itinerum difficultate fatiscentibus, subindè visitor à vestrate Monacho, qui mihi Historiam de ANNVLO B. Virginis tuam vna propemodum die totam continenter de scripto recitauit. Addidit, te de illa publicanda cogitare: quod, quæso mi Laure, honori tantæ rei fac quàm primum præstes: Sicut enim ad Tabernaculi ædificationem, quod ipse innuisti, Onychini Annuli suum quoque ornatum contulere: ita B. Virginis gloriæ, quæ verum Dei Tabernaculum fuit, tua plurimum contulerit lucubratio; ne quid de ea gloriola, quæ lenocinium facere Scriptoribus consueuit, tàgam apud Te, pro vnius Deiparæ laudibus enixè laborantem. Eadem vtrumque nostrum seruet incolumem. Dat. Arimini Pridie S. Antonij MDCXXII.

Ex Epistola Fuluij Paulucij Perus. Pauli V. à Cubiculo intimo, nunc etiam Gregorij XV. ad Io: Bap. Laurum.

Legitur in secundo Volum. Epistolarum nostrarum.

GRatum autem, ac mirum in modum fuit, intelligere, à te prouinciam hanc modò susceptam, tuamque manu insigni huic ANNVLO admotam; & vt iudicij mei calculum addam, quæso te, sic excole tuum, à natura traditum, animi agrum; & quem Deus feracem optimarum Artium dedit, tu ad laudem illius, supra quam nil nisi Deus est, industriæ aratro scinde, præclarumque hoc pignus à te

cui

cui à Musis (veluti de Hesiodo dicebatur) LAVREVM sceptrum datum est, in lucem protrahatur: apud quem autem sequestrem diues ingenij tui supellex tutius potest deponi? Omnes pro hac suscepta prouincia beneficium capient, iisque, quibuscum hoc communicaui, etiam nunc iucunda præsumptio est. Alacri igitur animo ad opus emoliendũ accingere, atque in hunc ANNVLVM non digitos modò; sed plenam (vt sic dixerim) manum immitte. Verùm. &c.

Georgius Longus D. Ambrosianæ Bibliothecæ Primus Custos in Tract. de Annulis Signatorijs cap. 1.

Refer ad Testimonia de Annulo pag. 132.

EST, inquit, Sponsalitius Anulus ex D. Hier. in cap. 8. Iob. & in 4. Isaiæ, & Beda in cap. 15. Luc Hom. 40. *sinceræ fidei signaculum, quo præmissa certa impressione signatur*. Quod quidem arrhæ genus adeò sæculis omnibus familiare fuit, vt ipsius Dei Genitricis, Iosephique Sponsalitio illustre redderetur. Constat siquidem ipsi quoque Beatissimæ Virgini à Iosepho ANVLVM datum esse, quo modo D. Laurentij Templum in PERVSINA Ciuitate, vbi religiosissimè asseruatur, non mediocriter colitur; quamuis cuiusnam materiæ existat, non facilè dignoscas. Meminit de eo Io. Carthagena de Sponsat. B.V. lib. 4. Hom. prima. Quin etiam &c.

Impri-

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sacr. Pal. Apostol.

Paulus Epis. de Curte Vicesgerens.

Ex commissione Reuerendissimi P.F. Hyacinthi Petronij Ord. Præd. Sacræ Theologiæ, & S. Palatij Apost. Mag. Ego Fr. Abraham Bzouius Polonus S. Theol. Mag. eiusdem Ord. S. Dominici.

A*Nnulum Pronubalem, humanæ felicitatis auspicem, quo* HORTVS Arboris vitæ ferax CONCLVSVS, FONS Aquæ viuificantis latex SIGNATVS, PORTA CAELI imperuia, soli Principum Principi peruia, æternùm CLAVSA, HAALMA IESSEA Virum ignoratura æternùm, *Diua Virginum Primiceria MARIA, Iosepho Virginitatis æternùm seruandæ socio, & conscio*, inter solemnia indelibati connubij, nouo exemplo, quod in exemplum posteritatis iret, *inarrhata*; Virginitatis & partus amans, nulli ne in parturitione quidem, in qua Virgo æternùm, virgine vtero, de virgine carne & virgine sanguine Verbum caro factum peperit non peperit, nupta innupta euasit, reserata; *ab Illustri & Clariss. Viro Io. Baptista Lauro Perusinorũ eruditissimo aureo verius, quàm atramentario stylo illustratum, Sole publico dignum censeo; quandoquidem is* & possidenti Patriæ, a pietate, Musis & Martialibus ausis

Sr[illegible]riæ

Etruriæ Vrbium principi, contumaces eius titulos inuincibilibus argumentis *asseruerit, & seruatam indidem incomparabilem magna religione gemmam* medelæ sospitatique certissimæ, ad maximam humani generis vtilitatem, per verissimam, indeficientemque prodigiorum, quæ ab Annulo Cælorum Reginæ omnium Cælitum potentissimæ, speciem *in totius Orbis aspectum, augusta facundia produxerit*. Calendis Decembris M D C X X I.
Romæ apud S. Petrum.

Imprimatur, Fr. Gregorius Donatus Mag. Reuerendiss. P.F. Hyacinthi Petronij Magistri Sac. Pal. Apost. Socius, Ord. Præd.

D E

DE ANNVLO PRONVBO DEIPARÆ VIRGINIS, QVI PERVSIAE RELIGIOSISSIME adſeruatur,

Io. Baptiſtæ Lauri Peruſini COMMENTARIVS.

AD publicam Ciuitatum laudem non tam illud intereſse conſtat, quod de rebus foris à maioribus præclarè geſtis, hiſtoria enarrandum ſuſcipitur; quàm ſi domi quidpiam eximiè conſpiciendum, cuius imaginem non popularis lambat gloria, vtcumque ſcriptum non prætermittatur. Nam & Vrbs quæque ſuos Curios, ſuos Camillos, & Fabricios habet, qui æternæ famæ decora pepererunt: ſed neque in eam non redundat ex Amphitheatris,

Thermis, Signis petita claritudo. vsque-adeo præter togas, ac paludamenta, magnos viros decent & crepundia. Quamquam verò eò adducere nos poterat, quo scribendi consilium Patriæ nunc quidem caritas inflectere coegit, Annulus vel Sanctæ Macrinæ ferreus, vel S. Edmundi Archipræsulis Cantuariensis aureus; vt de alio B. Arnulphi mittam loqui, quem ab ipso in Mosellam fluuium proiectum, & post annos aliquot in Pisce exenterando repertum, eidem tum Metensis Ecclesiæ Episcopo, cocus inter epulas, veniæ à Deo impetratæ indicium, obtulit: longè tamen faciliorem traiectum nobis felicior fama conciliat. E Gallia Belgica, in cuius adytis sanctioribus nuperrimè litauimus, Perusiam remigramus. sic vt quæ illinc maximè illustria expressero, mea pro pius, hoc est, Augustæ Patriæ, fecisse visurus sim. Coloniam Agrippinam nullum non hominum genus, immortalitate dignissimum, inde ab sui exordio cohonestauit. Verum alia quoque sunt, quæ ad colligendam laudem peridoneæ, tanquam in puluere iacere non permittantur. Diuorum illic memoria, perinde atque ipsi, sempiterna, & D. VRSVLAM vna cum sociarum Virginum cohortibus ex maiore Britan-

Annulus ferreus S. Macrinæ. Aureus S. Edmundi. De Annulo B. Arnulphi.

Coloniæ Agrippinæ laus.

S. Vrsula cum sociis Coloniã appellit.

Britannia, ne ad Brittonas, apud quos maritus degebat, perueniret, felici naufragio ad Vbios protrusam, Agrippinæ loquuntur tabulæ, & sepulchra. Porrò Annulum aureum simplici opere, quo eam sibi Conanus Gallo-Britanniæ præfectus, nondum è paternis abductam laribus, matrimonio copularat, spectari, celebrarique dignum cum suspicimus ipsi, qui tanto abiuncti interuallo inaudiuimus primò, per otium deinde in Agrippinæ Sacrario introspeximus; tum non inferiore cultus exemplo, tametsi ampliore Vrbis donario, ad nostrum conuersi, sancta quadam spiritus temulentia supra Vbios religiosè, si licet dicere, debacchamur.

Annulus S. Vrsulæ Coloniæ Agrippinæ. Conanus Britanniæ Gallicæ præfectus.

Quid enim Beatissimæ Deiparæ ANNVLO; quo eam sibi sponsam adiunxit Ioseph, fieri queat excellentius, & ad posteritatis memoriam venerabilius? Quippè haud vnquam huius desituram gloriam, & cœptum iam pergentemque ad nos voti & religionis ergò omni ex parte concursum, cumque ipso vtique Annulo perennaturum, & figura in orbem conflata, æternitatis index liquidò ostendat, & MARIA tam illu-

Mariæ Virginis Annulus Perusiæ.

Arist. 3. Phys. T. 62.

ſtris, tamque admirandi largitrix muneris, pro quo ſibi vindicando, retinendoque celebriores Etruriæ pugnarunt Vrbes, omninò velit. Propterea quod tanto honorificentius Peruſiæ habeatur; quanto, ſeſquiſæculari propè iam decurſo ſpatio, in ſpectabiliſſima Etruriæ, Vmbriæque ſtetit, plaga: cum antea proximè à Regis Porſenæ ſilueſcenti Labyrintho, Cluſii parum dignis Dominæ latibulis, ac receſſibus deliteſceret; idque ob eorum calamitatem, atque anguſtias temporum, nequid Cluſinorum pietati, quæ mira ſanè erga Virginem eſt, labeculæ inuratur. Quod ſi, Auguſtino teſte, paterna veſtis, & Annulus, & ſi quid eſt huiuſmodi, tanto carius eſt poſteris, quanto erga parentes eſt maior affectus: quid nos mortales facere par eſt erga celeberrimã Virginis mortalium Parentis gemmam, cui præter modum obſtrictus mortalium nemo fuerit. Pro ea igitur veneratione magnæ Matris patrocinio debita, nuptialem eius teſſerã meritò colat ſedula pietas, eidemque obſequentium candor litet animorum.

Cluſium. Porſenæ Regis Labyrinthus.

Cluſinorum erga Virginẽ pietas.

De Ciuit. Dei l. 1. c. 13. D.Th. 3. p. q. 25. art. 6.

Nos rem eximiam, cui gentium prædicatio omnium, & ſcriptorum induſtria me-

meliorum debeatur, monumentorum veterum innixi testificationibus, breuiter tradere posteris proposuimus: qua videlicet ratione emerserit; cuius ductu, auspicioque ad Reipublicæ quondam nostræ notitiam, & in potestatem deuenerit; quæque ad alienam vim propulsandam exin admotæ machinæ. Quandò nobilissima Ciuitas, præteritarum rerum Annalibus per incuriam apud nos omnis æui, inter obliuiosa reiectis, tam multos ex se genitos habuit, Seriphios planè factos, & in disseminandis Libris infœcundos: cum græcè tamen, latinèque essent scientissimi, & scribendi nitore, si intendissent animum, præstantissima suorum facta perfacilè exæquare potuissent.

Et erat sanè, cur à fœcundissimo Campani ingenio, de Perusinis egregiè merito, hæc quoque narratio, vti Brachiana, expectaretur. Ac de Brachio Fortebrachio sex Libris absolutam Historiam miserat iam ad Carolum huius filium. De ANNVLO per id tempus Perusiam allato, puto, non reticuisset: nisi Typherno depulsus, quia ad Sixtum IV. paullò proteruius scribens, de immanitate aduentantis illuc Pontificij exerci-

Io: Antonius Campanus.

Brachij vitam scripsit Libris sex.

Typherni Prætor.

Sixti IV. iracundiam in se prouocauit.

tus conqueſtus fuerat, ipſius implacabilem iram incurriſset. Quarè finitima Vrbe, quam adminiſtrabat Prætor, depulſus, Neapolim ſe recepit, inde Interamnam Aprutinam, cui præerat Epiſcopus, nec multò poſt moritur; relicta poſteris de rebus noſtris Hiſtoriæ pertexendæ cura; in qua plus æquo Peruſini indormiſse, mihi de Patria non peſſimè æſtimanti, viſi ſunt. Etenim nullam illi referre gratiam, in qua primos hauſeris ſpiritus, & ex ingenij campo, doctrina, facundiaque vel mediocriter exculto, in benè merentem fœnus aliquod non refundere; eſse hominis ſemper ſum arbitratus, qui fruſtra ſe naſci voluiſse fateatur. Quocirca æquiores fore mihi, quicumque mea legerint, confido; quibus eius Virginis clientelam, fidemq; ex animo precor; cuius ego gloriæ, quoad per tenuitatem meam fieri potuit, ſtrenuè velificatus ſum: quamque mihi ad extremam vſque vitæ lineam amiciſſimè patrocinari expetam. Sed iam initium narrandi faciam.

Interamnienſis Epiſ. antea creatus.

Omnium primum ſatis in aperto eſt, in nuptijs contrahendis non apud Romanos modò, aut Græcos, verum etiam apud antiquiſſimos Hebræorum, vt eſſet

Annuli vſus ad Hebræos Græcos, Romanos.

ſet

ſet fidei & amoris coniugalis argumentum, Anñuli, quem ſponſalem ac Pronubum appellarunt,inoleuiſse vſum. nā de Signatorio, atque Honorario vulgatior res eſt, quàm vt hoc loco commemorari debeat. Ac miſſitatum quidem ad ſponſas arrhæ nomine à ſponſis ferreum, gemmeum, aureumque,paſſim ex veterum monumentis intelligimus. adduntque illud præterea, non tam vt ornatus gratia geſtaretur,quàm vt eodem coniugali, tanquam Sigillaricio, adſeruata domi ab vxoribus potiora quæque obſignarentur.Ceterum manſiſse & priſco ſæculo,apud vetuſtioris Inſtrumenti ſtudioſos in confeſso eſt. Cum enim occupatos ſuperſtitione animos Moſes pœnitentia & expiatione liberandos docuiſſet, Arcæ fabricam, in qua lapideæ includerentur Tabulæ palam edixit. Igitur cum ſupellex varia ad Tabernaculum conficiendum, & ad cærimoniarum cultum quæreretur, lapides etiam Onychini, aliæque gemmæ ad ornatum ſacerdotalium indumentorum congeſtæ ſunt; & confertim viri vna cum mulieribus armillas, inaures,Annulos,ac dextralia præbuere.Huc accedit,quod cum populum & principes Iſaias ac Domi-

Tertull.

Annulus triplex Signatorius, Honorarius, Pronubus.

Annulus ferreus, aureus, gemmeus.

Annulus Spōſalis idem cū Sigillaricio.

Exodi 35.

Tabernaculi dedicatio.

Iſaia 3.

nus verbis acerbioribus castigasset: ne mulieres à scelere & crimine se se alienas esse arbitrarentur: ob quarum delicias, & luxuriæ inquinamenta exactores, Domini vineam miserè depasti fuerant: minatur & ijsdem ablaturum se omnia vestium, gemmarum, aurique ac monilium ornamenta; in his mitras, discriminalia & Annulos. Vt Iudittæ muliebrem mundum silentio pertranseam, quæ tantisper ob defunctum vita comparem, orbitatis oblita, ad prosternendum Tyrannum omnibus ineuntis matrimonij, quasi telis se splendidè obarmauit. Quid quod procedente tempore nubentibus Hebræis, si noluissent Annulum, quiduis adhibendi, quo oblectaretur vxor, vel si teruncium valuisset, potestas fuit. Vbi verò nuptialis Orbiculus arrisisset, is ex ferro aut Onyche conflatus totus, nulloque in palam lapillo inserto, ad antiqui victus parsimoniam & frugales mores indicandos, æquabilis vndequaque, connubijs celebrandis opportunus, vt in præsens aureorum fert consuetudo, putabatur.

Iudit. 10.

Hebræorum in nuptijs cõsuetudo.

Annulus cur daretur gemma carens.

Ergò vbi præpotentis consilio Dei, à summis Hierosolymitani Templi Mystágogis de MARIA Virgine in matrimo-

Maria Virgo desponsatur.

monium elocanda relatum eſt (trimula enim eò illata, nubiles iam attigerat annos, ac nefas erat, intra delubri ſepta vna cum Sacerdotibus obuerſari diutius) eandem perenni virginitatis voto Deo obſtrictam, Viro prorſus ad cuſtodiendam ipſam facto, qui foret Mariæ contribulis, atque ex Dauidis ſtirpe oriundus, IOSEPHO, peregrinationis, ac laborum futuro ſocio, addixerunt. prodigioſa iſtuc indicante Virga, in cuius faſtigio lapſa, vt aiunt, è Cælo Columba conſediſset. Quamobrem homo egentiſſimus, vt patrimonij copijs vel exilibus carebat, ac lignario opere quæritare, ſibi in dies victum cogebatur, nullum ad contrahendas haſce nuptias paullò preciosiorem, qui & commodum ſe in id obtulerit, nactus eſt ANNVLVM.

Conceptum à desponſatione votum affirmat D. Tho. 3. par. q. 28. ar. 4.

Maria S. Ioſepho in matrimonium datur.

Virga.

Columba.

Ioſeph. pauperrimus, opificio Faber lignar.

Atque hic planè verus, nequaquam per ſpeciem interceſſit; quod de ijs Annulis fertur, quibus ſæpius in adiungendis ſibi Myſtico connubio Virginibus Chriſtum fuiſse vſum legimus: vt in Agnete, Oſanna, & Catharina Senenſe, atque Alexandrina. cuius dies feſtus cum in XXV. Nouembris incurrat, ac Deipara, exacto à contractis Nuptijs quadrimeſtri, feſtiuiſſimum ab Angelo nuncium

De Annuli Virginei veritate

S. Agnes.

Oſanna Mantuana.

Catharina Senenſis, & Alexandrina.

Dies Martyrij S. Cathar. Alexandrinæ.

Idem cum desponſationis B. Virg. N. ceph. l. 2. c. 3.

cium audierit, (vt hoc obiter de coniugij à Maria initi luce adnotemus) illo ipso quinto ac vigesimo Nouembris die Iosepho & ipsa nupsisse deprehenditur. Neque item generis eius est noster Annulus, quo S. Ioachin Annam Mariæ parentem sibi matrimonio copulauit, & seruatur Romæ apud D. Annæ Sanctimoniales. Argenteus enim ille est, rudis admodum. consurgit pro pala Vasculum, in quo vitrea seu Chrystallina occluditur gemmula, maculis circumcingentibus nigris in medio pellucida, superficie dumtaxat: interius opacitate nigrescit, ex qua imago, veluti è speculo, resilit. Hoc hebetes & caligantes oculos, quibus dicato ipsi die admoueri consueuit, plurimum iuuari tradunt. Nec Annulum denique missum è Cælo aliquem quisquam putet; quemadmodum receptum nube aliquandò, illucque sublatum in Martyrio SS. Hemeterij & Chelidonij Calaguritanorum Aurelius Clemens tradidit.

Annulus S. Annæ Romæ.

Idem iuuat hebetes oculos.

Annulum & Orarium SS. Hemeterij & Chelidonij nubes in Cælum sustulit.

Enimuerò regionis genio potius, quã locupletioris alicuius liberalitati, qui ad virgineum connubium est adhibitus, animo, tenuissima in re diues, retulit acceptum Ioseph: Damascum Syriæ Alaba-

Alabastrites lapis.

ba-

baſtrites lapis, ſicut Palæſtinam, qua con tingit Arabas, vberrimè commendat Onyx. prior ad vaſa vnguentaria conficienda effoditur: potoria ex altero, nec nō amphoræ & columnæ exciduntur. trā ſilit & in gemmā, quæ humani vnguis ſimilitudinem æmulatur: popularis materia eſt, & effícti ex ea Annuli quā minimo æſtimantur. Hoc ex genere cenſetur noſter, quem alij Sardonychen & Calcedonium tranſnominauere. Illud quoque prope eſt omnium approbatione vulgatum, gēmeo in Calice, qui Valentiæ adhuc viſitur, Chriſtū Dn̄m Euchariſticum sāguinem, vt aliquā materni Annuli rationem duxiſſe videretur, conſecraſſe. Hunc certè talium æſtimatores acerrimi maluere Calcedonium. in his Paulus iij. Farneſius, qui per cauſsam extruendæ Peruſinæ Arcis, ad nos quotannis commigrabat, ſemperque explorata gemma recedebat: Io. Baptiſta Caſtaneus, Roſſanenſium Archiepiſcopus, quamdiu Peruſiæ, Vmbriæque imperauit, quem poſtea Vrbanum vij. agnouimus, ſed xj. die Pontificatu vix delibato, vita functum veris lacrymis proſecuti ſumus: & Ferdinandus Gonzaga Mantuæ Dux, haud ſemel ea Etruriæ parte perluſtrata. ſenſere

Onyx.

Annuli ex Onycha viliſſimi.

Annulus Virginis Pronubus qualis.

Sardonyx.

Calcedonius.

Calix Domini qualis, & vbi.

Pauli iij. de Annulo Peruſino iudicium

Vrbani vij.

Ferdinandi Mantuæ Ducis.

ſere idem alij Viri principes ; gemmarumque peritiſſimi inſtitores, noſtra vtique religionis ergò inſpecta, & curioſius ſalutata.

B. V. Annulus ex Onycha aut Calcedonio. Rationale Aaronis. Huius fulgor Victoriæ prænuncius.

Igitur Arabico, ſeu Palæſtino lapillo in ſubarrhanda Virgine vſus eſt Ioſeph, quem inſertum Aaronis Rationali ſiue Oraculo (ita Græci interpretabantur ob eximium xij. gemmarum fulgorem, quo belli proſpera populo prænunciabantur) Seni pietas fecerat venerabiliorem. Cúque pronubales Annuli fidei ſigno, nimirum coniunctis dexteris, inſculperentur, quod eſset mutui fœderis inter coniuges argumentum; ad noſtrum per coniecturas adrepimus: cum notæ neſciocuius, quæ in Annuli dorſo ſublucet, euerſum pænè vetuſtate veſtigium intermicet; ſic vt Apirona non abſurdè voces, hoc eſt, carentem funda, & abſolutæ rotunditatis artificio concinnatum.

Quo ſigno Christianorũ Annuli inſculperentur.

Annulus gemma vel funda carens Apiros

Quid in Ann. Virginali inſculptum, coniecturæ.

Etenim flos permultis eſt è calice erumpens; alijs duo ſemicluſi floſculi, ſpōſi virgam iam ſeneſcentis indicantes. Sunt qui binos putent oculos, vigilantiæ, humilitatis, aut prodigæ in omnes beneuolentiæ teſtes. Caput alij ſerto redimitum, quod ſit Dauidis, à quo ſui fontem generis ampliſſimi Coniuges deriua-

riuarint:aut character denique,qui tem porum iniuria apud Hebræos obsoleuerit.

Nemo enim ignorat, Esdram Iudæorum litteras immutasse, nouosque characteres,ne cum populis Samaritæis ipsi cōgrederētur,inuexisse.Cumq;post emēdatum Moseos volumen, ob gentis Israeliticæ captiuitatem fieri non posse animaduerteret, vt per manus tráditæ à maioribus leges, ad posteros peruenirent:incolumes, foreque ex eo,vt quæ diuinitus Symmystæ perceperant, per negligentiam & ignorationem interciderent; coactis in synedrium LXX. Sapientibus, aduocatisque exceptoribus, quæ quisque deLegis Mysterijs memoriter recitarat, Esdræ iussu conscripta sunt; atque hinc LXX.Libri scientiæ Cabalæ, siue doctrinæ secretioris,in quibus intellectus vena & sapientiæ fons occultaretur, promanarunt: quos incredibili studio à Sixto IV., sub quo ANNVLVM B.Virginis Perusini accepimus, perquisitos, & Reipubl. Christianæ bono latinis litteris reddi cœptos, nobis importunus Opt. Pontificis obitus indignè subtraxit; nostraque tempestate tanti apud Hebræos sunt,vt ad eorum cognitionem

Esdræ eruditio.

De nouis Hebræorum Characteribus.

LXX. Sapientes.

De scientia Cabala.

Sixto IV. Pōt. Annulus Perusiam inuectus. Idem curauit latinos fieri Cabalæ lxx.Libros.

cui-

cuiquam nisi quadragenario adspirare non liceat.

Sphragidophylacion appellauit Harpocratio Annuli partem, qua gemma sedet.

Pelbartus to. a.l.3.§.7.

Annulus B. Vir. nonnullis ex Amethysto.

Amethystus vulgatior.

Arabia Petræa.

Indica, quæ & nobilior.

Sed profectò quæ de sphragidophylacio Annuli in medium attulimus, coniecturis pleraque innituntur. illud certo certius ex Pelbarti, Viri doctissimi, voluminibus, quæ eidem Pontifici nuncupauit, didicimus, conclusam inibi fuisse Amethysti particulam: nisi ex Amethysto malimus totum, quod est vero propius, quæ & scalpturæ facilis, neque ita præstans existimaretur; quippe in ea Arabiæ gigneretur parte, quæ finitima Syriæ, Petræa vocatur: omninò longè sordidior, viliorque Indica Amethysto, quã Gemmarij nobiliores, ceteris, quæ in Thaso, Cypro, Armenia minore, Aegypto & Gallia reperiuntur, prætulere.

De Annulo B. Virginis aureo falsa opinio.

Pictura Virginis cum Annulo Romæ in D. Mariæ in Via lata.

Nã recentiorum quorundã placita, scitis Hebræorum aduersãtia, prorsus repudiauerim, qui Annulum aureum, in cuius pala puniceus esset calculus, à Deipara complures annos gestatum, scriptis editis, nullo auctore, asseruere: tametsi vti rem pictura expressam, qualem S. exhibuit Lucas, & Romæ in D. Mariæ in Via lata venerabundi intuemur, recensere potuit, quisquis renarrator fuit; gestationis verò meminisse, incerta adeò

fama,

fama, non debuit. Nisi si fortasse eam ad S. Edmundum adolescentulum Pictoribus referre licuerit, qui Virginitatem in ipso vernantis ætatis flore Deo, coram B. M. Signo vouit, eãdemq; Annulo, quem sibi detraxerat, in Imaginis digitum immisso, cui inscriptum erat AVE, fidei perpetuò seruandæ pignore concredito, in sponsam adlegit. Ex quo autem ille in sponsalem arrham prodijt, dignationem omnium maximam mox sepositus, ac religioni destinatus hausit. Ceterum quid toto hoc de genere lapidum statuendum videatur, haud magno in discrimine posuerim: ferueat modo in Dei Matrem sincera pietas, cuius Pronubi Annuli ornamenta nulla laus est, quæ possit exprimere; de quo quid compertum habuerimus, quàm breuissimè, verissimèque trademus. Ac iure Viri religiosissimi, atq; acutissimi carmen ad Perusinum Populum præmiserim.

D. S. Edmundo Adolescentulo.

B. Virgo ab Edmundo despõsata.

Annulus, cui inscriptum erat Aue.

Bernardi Colnagi ex Soc. Iesu.

Sardonychem appellent, vilemue Amethyston; at est mi
Chalcedon: variet vox, sonet vna fides.
Quæ MARIAE digitis fuerint admota ligandis
Vincla, rogo, hæc nostrum destua corda ligent.

Hu-

Hugo Etruriæ Marchio.

Hugonem Etruriæ Marchionem Sextum, matre Vuila Bonifacij Camertium Marchionis filia, patre Alberto, Hugonis Italiæ Regis filio, ortum, ſicut Gregorio V. & Othoni iij. egregiè nauata opera plurimum inter Chriſtianos Principes illuſtrauit; ita ſacroſanctus DEIPARAE, vxoris ignaræ, auſpicijs repertus ANNVLVS, niſi à tantæ rei notitia arcuiſſent Superi, multò inſigniorem reddidiſſet: quemadmodum Othonem eundem S. Bartholomæi Corpus Beneuento Romam in Tiberinam Inſulam, quæ Iouis olim fuerat, aſportatum paullò ante nobilitarat. Iam meritas defectionis pœnas dederat Creſcentius, & Ioannes exoculatus, qui, Gregorio adhuc ſuperſtite, Pontificias infulas occuparat, ijſdem ab Othone fuerat exautoratus; cum Hugo profeminandæ vulgò pacis, & ſtabiliendæ concordiæ cupiditate adductus, vt erat imperatoria dignitate conſpicuus (quippè iure ſanguinis iunctus Cæſari, bello ſtrenuus, & moderandæ conſilijs reipublicæ apprimè gnarus) varias conſultò mutabat ſedes. Cluſium autem Tuſciæ oppidum, ſi quandò Florentinæ Ciuitati prætuliſſet, in qua Cœnobium Dei Genitrici ampliſſimum

Greg. V Pont. Otho iij Imp.

Annulus B. Virg. quando repertus.

S. Barthol Corpus è Beneuento Romam aſportatum.

Inſula Tyberina Romæ quæ & S. Bartholomæi.

Creſcentius Vir cōſularis.

Ioannes pſeudopontifex.

Cluſium

mum excitarat, frequentius incoluit.

Erat huic Vxor, Othonis neptis, Iuditta nomine (sic Diuus Podo Florentiæ ea tempestate Episcopus scriptum reliquit) quæ præter modum, tametsi non præter solitum, gemmis oblectabatur, ad quas ardent, & insaniunt studia feminarum. Clusij Ranerius quidam preciosorum lapidum vsu dignoscendorum, peritiaque callentissimus æstimator ac proxeneta audiebat: is à Iuditta euocatur, Romamque eius conquirendæ, colligendæque frugis caussa, vi pecuniarum ingenti tradita, ablegatur. Diuino fauente Numine factum est, vt in bonum omen & muliebris curiositas, & Gemmarij cuiusdam iampridem ex Vrbe Hierosolyma Romam profecti, occursus verteretur. Et certè alibi quàm Romæ, quæ esset sacrarum Reliquiarum Emporium, & Christi Præsepe possideret, sponsalem Matris Annulum nō decebat in lucem promi; nec nisi ex occasione vilium præ hoc vno mercium vendundarum, vt humani ingenij libidinem ac luxum magis damnes, & cælestis consilij rationem demissius contemplere. Porrò Sanctorum pleraque diu occulta & per manus tradita, ignorantibus ijs, apud

Iuditta Hugonis vxor D. Podo Florentinorum Episcopus: vide post Comment.

Ranerius Gemmarius Clusinus Romam mittitur.

Gemmarius alius Romæ, à quo acceptus Annulus B. Virginis.

Roma Præsepe Domini possidet.

De Sanctorū Reliquijs.

quos latuissent, aut in earum cultu haud satis incalescentibus, tardissimè ad posteros peruenerunt: nec continuò agnita Oraria, caligæ, velamina, cineres, Annuli, & si quæ alia arcanam patrandi miracula vim à Deo fuerunt assecuta. Ecclesiasticarum verò traditionum fontibus, vnde purissimi fidelium dimanarunt latices, Eunomius prorsus aliquis & Vigilantius, fanatico afflati spiritu, impietatis venenum nefariè infundant. Neque venalem tamen propositum Mariæ Annulum, sed dono fuisse datum ab homine post illam Crescentij perduellionem, quæ Othonianorum irruptione maiore conquieuit, non sine potentis nutu Dei existimauerim. Nuptiarum enim & beneuolentiæ Index meritò quæstum omnem à se debuit excutere; & commodum, vbi proditio atque hostilis vesania triumphabat, animorum suauiter coeuntium tessera prolata est; longius autem ab Aularum fucis & militaribus Romæ studijs abducenda, in qua sic tum ambitioni ac perfidiæ infulati, galeatique Principes vectigalia persolnebant. Igitur à Gemmario Ranerius margaritarum, atque vnionum tantum commercatur, quantum auri argentique

Traditiones Ecclesiasticæ sunt Apostolicum depositum.

Eunomius & Vigilãtius cultum reliquiarum impugnarunt.

Gennad. 73. de Ecclesiast. Dogmat.

Annulus B. Virg. cur dono datus.

Vix Romæ agnitus, sed; alio abducendus.

que instituto mercimonio fuit satis. Triduo post discedere parantem, alijs oblatis nundinationibus, compellat Institor. Sed Gemmarium Clusinus incusat, velut hospiti imposuerit, cui empturienti non scrinia omnia, omnes forulos reserarit; tum si quid abstrusum magis, reconditumque habuisset, quod coemptarum margaritarum dotem candore, læuore, ac pondere superaret, non deprompserit. Inuitari enimuerò ad ea, quæ per magni æstimentur, cum marsupium detumuisset; nec posset emptionem vllam meditari, vel si posthac pretia ad summum licitationis non excrescerent; nisi precario; aut oppignorata, quam turpiter emendicasset, fide.

Caue ita dixeris Raneri, inquit Gemmarius: etenim venum liberaliter proposui, & nullo fuco, quæ tu cumque à me, nec caro quidem (precèrne, si mentior, mihi irata Numina, quibus Dactylothecas olim suas Scaurus, Cæsar, & Marcellus deuouere?) coëmisti. Verum seu Genius me aliquis adigit in amorem tui; seu rerum ita series trahitur, vt quæ antiquiora duximus subindè mutent dominos, & fidei credi debeant alienæ, quæ conseruerunt in no-

Dactylothecæ à Scauro, Cæsare, Marcello Dijs dicatæ.

Annulus Ranerio donodatus.

ſtra: fœderis inter nos icti Annulus iſte (quem de Gemmarum conditorio accerperat) pignus eſto: Itáne, Cluſinus ſubridens, rem non magni pretij, amicitiæ prædem initæ, hoſpes profuſiſſime; nobis offers? Ne obſecro te, mundum tuum, qui auro, argentoque exuberat, & gemmarium ipſum penſi vnione tam precioſo carere velis: pro animo habeo gratiam, & affectus mihi quouis opulento donario potior eſt.

Ne rudem Annulum, quandò ità cenſes (ſubiecit alius) vſque adeò neglectum eas. quem, in quos olim vſus adhibitus fuerit, vbi intelligas: pœniteat ſaxo, Chriſtianum hominem muneris improuidè deſpecti; & conſilij oppidò interuerſi. Tum magno cupias emptum, quem noſtra tibi vltronea liberalitas, ni hil tale opinanti clargitur: neque ſi nunc animo euiluit tuo, non poſtea fiet plurimi; in tantum beati Coniuges decus ei ac dignitatem conciliarunt, qui ad ſuas nuptias transtulere. Ac ne ſis neſcius, HOC ANNVLO PRONVBO MARIAE DIGITVM SPONSVS IOSEPH OPPIGNORAVIT. Hunc habebis, Raneri, tecum, & ne in impij & nefarij cuiuſquam deue-

Annulus Pronubus Mariæ.

niat

niat manus, sedulò aduigilabis: Frustra siquidem te admonuerim, capitale fuisse sub Tiberio, Annulos, imò & nummos, re modò aliqua non vulgari subnotatos, Lupanari inferre, locòue obsceno admouere: quid putas pollutas cæde dexteras & consceleratas eo inducere? Ceterum ab excordis ingenij homine in nullo aduigilatum est minus: atque Annulum recusare non ausus, in arculam quandam, domi cum reliquis familiæ impedimentis seponendam; temerè, nullius perinde religionis admonitus, coniecit: tanquam eius generis extitisset, qualem certa Siderum coitione compactum, Mosen redire in Aegyptum ex Saba cupientem, refractariæ dedisse Vxori, ad expungendam ex ipsius mente sui memoriam, quidam nimis stolidè somniarunt.

Tiberius Imper. Annulorũ & Nũmorũ religio antiquius.

Moseos reditus in Aegyptum.

Ranerius vbi se Clusium recepit, ad Iudittam recta contendit, cui gemmaria explicata scena, vnionum ac margaritarum rationarium bona fide repræsentat: oblitus verbum facere de Virginali Lapillo, quem planè sanctius atque honorificentius Princeps Femina, quanquam hauddum pietatis studijs verè dedita, excoluisset. Sed scilicet abnuerunt Cælites, Iuditæ

Ranerius Clusium reuertitur

Iudittæ mores.

tæ obijci piaculare donum, in illâ vtique maris, terræque intertrimenta & fæces, quibus Gemmarum nomen indidimus, proniori: quandò etiam ab Hugonis mariti laxo tum quidem viuendi more minimum diffidebat; qui tamen post nihil non pium, nihil non præstitit cum religione coniunctum. Hunc ipsum à Maria Virgine inter venandum increpitum vulgatior fama fert.

Ex c. 5. MS. Codicis de eius vita. Seruatur Florentiæ apud Monachos S. Saluatoris Ord. Cister.

Etenim per colles, siluasque, canibus & equis insectantem feras, à cetera Venatorum turba oblatus ex improuiso Ceruus longius abduxerat: cursitantemque per nemus remotissimum, &, vt diei æstus erat, sudore perfusum, fame ac tædio enectum, egregiè delassauerat. Appetebat iam nox, quique Belluæ fugientis gratia propè extabuerat, & frustra præda è manibus elapsa, solus per dumeta oberrans iterum, quæritabat cibum; tuguriolum nactus ex equo desiluit; & glande ac radiculis, famelici Pastoris delicijs, se auidè saginauit.

Hugoni B. Virgo inter venādum apparet.

Tum aspero in strato somnum captare laboranti, augustissima specie, & dulci luminum lenocinio, Hugoni Virgo palam se se videndam præbuit; sic vt

omnem

omnem interuersi affectus sensum in Marchionis animo restingueret: qui tenax aliòqui libidinum, & ab occursantium formarum obtutu facilè flammam hauriens, contra ius fasque coniugalis tori malè ab illicibus atq; illicitis amoribus temperabat. Ferebat Deipara Vas cœno sordidum & vili emblemate segmentatum, cibis refertum delicatioribus, qui varia conditurarum illecebra abstinentissimi cuiusque palatum dementare potuissent. Adesdum inquiens, fame effractе Marchio; his eam epulis profliga obmurmurantem, gratoque edulio viriculas refice fatiscentes. Abijce sterquilinium Mater, respondit Hugo. Quiuis gurges & helluo, propter infames quadras, respuat malè feriata fercula. me præter escaria vasa aurea, argenteaque, iuuat epularum tempestiua luxuries: quæ nunc intempestiuè blanditur oculis; quandò sordens vasculum castigat acriter, & deijcit edundi amorem. Itanè? (Virgo subdit) nauseantis decretum placet; cui vel inuito vtilia propinare non verebor. Huic Vasculo tuum corpus est quàm simillimum, quod pariter scatet maculis, & ipsa flagitiorum consuetudine in scopulos recidit, quos

Vas cibis refertum Hugoni à Virg. oblatum.

horruerat, suique stultè naufragium circumfert, quod damnarat. Impositæ epulæ adumbrant animum, qui non secus sui nauseam erect, ab eoque abstineant æquè, quicumque vasis aut corporis haud perferre graueolentiam queant. Nihil fœdius peccatorum tabe, quæ gnati candorem mei iuguler, & puros Beatarum Mentium cœtus longissimè absterreat. Egoque te pessimè oderim tot coopertum sceleribus, tuæ Templum animæ circumsidentibus; veluti ob illatam extrinsecus fœculentiam perlepidum cibum, cum esurias plurimum, fastidis ipse. Atqui pulchræ ego dilectionis Mater, & sanctæ spei, meliore in posterum de te concepta spe, tibi me liquida in luce, in obscuro siluarum anfractu, placidissimè ostendi: quò mentem è vesaniæ amatoriæ veterno excites, & agnoscens scelus, vltrò tibi multam irroges, meque verissima prædicantem, mutato in melius vitæ instituto, quantum possis, æmuleris.

Septem Monasteria ab Hugone extructa

Et quidem egregius constitit obiurgationis fructus. permulta enim Religiosarum Familiarum magnis sumptibus Cœnobia extruxit, & venerabilius ac religiosius quoddam in honorem Dei

Ge-

Genitricis Florentiæ exædificandum curauit. Nec pietatis deinde largiore encomio caruit Iuditta vxor; cuius hortatu D. Andreæ Apostoli Templum Florentino eius æui sanctissimo Antistiti posterisque liberaliter Hugo administrandum dedit.

Florentiæ Ecclesia D. Virgini dicata.

S. Andreæ aliam hortatu Iudittæ D. Podo Episcopus recepit.

Iam Ranerio memorata superius obliuio magno stetit, & quod fœnus, si tempestiuius Annulum, reuerentiusque coluisset, animæ censum ac fortunarum ampliter locupletasset, in hominis, obsequij aduersus Virginem tardioris, ingens erupit damnum.

Ranerius decennium totum neglexit Annulum.

Nulla illi soboles præter virilem erat, quam futuram aliquandò opulentissimi patrimonij heredem, arctius foueri, ac nutriri diligentius curabat. Decennij metas Puer vix excesserat (nam Pater decem ipsis annis, ex quo Deiparæ Annulo humanissimè auctus fuerat, obliuioni parentarat) cum grauissimè ægrotare cœpit, tantumque imbecillitatis, & languoris ex vehementi contraxit æstu, vt augescenti in dies, & grassanti febri Medicorum curationes frustra adhiberentur. Ergò repentino Patris desiderio extinguitur; & quæ est mortalium conditio infelix, columen familiæ concidit,

Ranerij Filius decennis ægrotat.

Moritur

&

& parentum expectatio, quorum ætas ingrauescens in adolescentis amore conquieuerat, momento temporis eluditur. Ranerius acerbi vulneris sensu altissimè confossus, vix adeuntium amicorum lenissima oratione cónfimari, vix communium calamitatum recordatione, atque alienæ orbitatis exemplis auocari à luctu potuit. Vbi lacrymis ac mœrori plusculum indulsit, magnificè Filiolo exequias parat, multoque affinium & cognatorum affluente numero, ipsemet in funus prodit, ad Diuæ Musthiolæ (Canonicorum Regularium Præpositura erat) deducendum.

S. Musthiolæ Ædes ad Clanim.

Hoc Templum, quod plus paullò ducentis passibus secundum Clanim fluuium Clusio distat, & nunc paucorum largitionibus, quippè cœnobio, amplissimisque ædificationibus vetustate collapsis, sustentatur, pluribus olim prædijs ac latifundijs ad Vaiani Villam, pagosque Clusinos, Plebanos, Perusinos abundabat: quorum nonnulla Pius II. Clusino Episcopatui attribuit; alia, sed quæ Pontificiæ ditionis essent, &ad Plebanum agrum pertinerent, Plebanæ ipsi Ecclesiæ Clemens VIII. adiudicauit.

Qualis olim, aut in præsens.

Pius II.

Clemens VIII primum Episcopum Plebanum instituit.

Idem fanum per id ætatis maximè illu-

lu-

luſtre, notumque omnibus eſt factum, cum ob D. Muſthiolæ Claudij Principis conſobrinæ, tum ob Hirenæi Martyrum tumulata corpora (ambo pro Chriſti confeſſione, Valeriano imperante, extremum ſupplicium ſubierant) ex quo & Anonymus Canonicus prodijſſe fertur, vitæ caſtimonia ad miraculum ſuſpiciendus; qui, vt Seraphici Annales tradunt, ipſo Mariæ Virginis cum Eliſabetha congredientis die, Puerum Ieſum, velut alter Simeon, in vlnas ſuauiſſimè excipiebat, & diuini præſentia Numinis mirificè recreabatur.

Deſs. Muſthiolæ & Hirenæi martyrio

B. Anonymus Canonicus S. Muſthiolæ

Tuſſignan.

Viſitationis feſtum B. Mariæ.

Hoc in loco Deiparæ Annulus, vt in tempore dicetur, diutiſſimè ſeruatus eſt; & nunc quoque indicat quædam D. Muſthiolæ Imago, ex cuius manu catenula ſuſpenſus pendet Annulus. Non longulè S. Calliſti conſpiciebatur Aedes, in qua huius reliquiæ in Vrnam coniectæ religioſiſſimè colebantur, quæ ad D. Muſthiolæ (Calliſtina diruta) mox translatæ ſunt, & ad latus beatiſſimi corporis reconditæ: ac tum luſtratæ, recognitæque, cum in Vrbe Veteri Eccleſia huic Virgini recens excitata eſt, & aliquid hinc eiuſmodi piaculare à ciuibus efflagitatum. Quibus Fauſtus Mela-

Cluſij vbi primum Annulus reconditus.

Imago S. Muſthiolæ cum Annulo pendente picta.

Eccleſia S. Calliſti.

Ea diruta huius reliquiæ deferuntur ad D. Muſthiolæ.

Vrbs vetus

Fauſtus Melarius Cluſinorum Epiſc.

larius Clusinorum Episcopus satisfacien dum ratus, patefacta Arca, Velum Martyris Virginis iniectum capiti, sanguineis guttis interspersum inde accepit, & ad Vrbem Veterem anno huius sæculi sexto, dono misit: Senas vero alterum, in nobili eiusdem nominis delubro adseruandum, iampridem allatum perhibetur.

Velum S. Musthiolæ ad Vrbem Veterem vbi recens Ecclesia 160?. Velum alterum Senas allatum.

Processerat mortualis pompa, cum inter propinquorum comploratiónes, & exequiaria studia, quod Viduæ contigisse gnato sacra Euangeliorum narrat Historia, Gemmarij Filius coronatus iam, atq; institis manus ac pedes reuinctus; iussis subsistere Libitinarijs, è pheretro consurgit, mœstas canentium, & quiritantium, bracchio elato, ac manu ori admota, compescit voces, Patrem euocat, & principiò sollicitum, animique ancipitem, dein lætitiæ temulentia quadam nutabundum, ad hunc alloquitur modum.

Lucæ 7.

Ranerij filius in vitam redit.

Huc ego Pater; Mariæ fauente clementia, tibi è Cælo adsum, eodem, vbi te contemptæ religionis reum peregero, singulari ipsius beneficio rediturus. Nam ecquæ intemperiæ tibi adeò eripuere mentem, vt sacrosanctam gemmam

Patrem è pheretro alloquitur.

mam decennali interuallo, in aliarum aceruo vtique præ hac vna sordescentium, velut in nequitiæ stabulo occuleres? quæ nimirum, virgineus vt Diabolo celaretur partus, Iosephi & Mariæ diuinitus conciliatis nuptijs interuenit. Cuius quoniam mortalium nulli spectandi copiam fecisti, sed nec mihi: ab eadem nihilominus tacitus emanans fulgor animum, oculosque præstinguit meos, vrgetque flagro luminis, te vt obiurgem, fidem hominum & Cælitum obtester, ac te dira imprecatione tā nō defigam, ni statim è tenebris eruas, in Solem adducas, publicè spectandam, colendamque proponas. Ad quod te per reuiuiscentem prolem illa eadem, quæ imposuit, & gestauit articulis, hortatur VIRGO, placarique celerrimè gestit, aduersus quam somniculosa pietas ingratum tantoperè exemplum edidit. Ac vt nullus fluctuanti ingenio dubitandi relinquatur locus. hoc indicium cape in primis efficax, & non vnum. Quamobrem Pater, votorum ita es immemor (horum tam ego ignarus, quàm tu in exsoluendo piger) quibus te iampridem obstrinxisti? quin ea demum persanctè obis, & certā pietati pactæ definis diem. Vota à Ranetio nuncupata.

Tu

Templum S. Michaelis Archangeli. Mons Garganus Sipont. Vrbs quę Manfredonia ann. 1620 à Turcis derepta. Templum S. Callisti.

Tu Angelo antrum Michaeli sacrum ad Garganum Montem, ac Sipontum Vrbem, peregrinantium habitu, te aditurum receperas. Tum labentem S. Callisti in proximo Aedem instauraturum. Ambo tibi violati diuini iuris dicam scribunt: ac nisi post redditum Deiparenti cultum, Sacrario dedicationem, itinere Sipontino votum redimas, nunquã se se fore placatos tibi, propitiosque pollicentur.

Extemplo è Ranerij petita laribus, erutâque è cubiculi latibulis gemmaria Theca, lapillis compluribus onusta, huc affertur: & reserata, atque ab inuolucris libera, ANNVLVM in tam multis, quo maior dictis accederet fides, nunquam visum, filio requirenti traditur. Manu vix iniecta, inter orbiculares calculos tum preciosiores, tum magnete illicibiliores; MARIAE PRONVBVM summis apprehensum digitis feruidè exosculatur, & palam turbæ, præ gaudio æquè in admirationem, atque in religiosum cultum, venerationemque compositæ ostentauit: campanis interea, (vt quidam auctores sunt) festiuum sponte sonitum, publicæ felicitatis indicium, edentibus.

B. MARIÆ ANNVLVS detegitur.

Clusinæ Campanæ sponte edunt sonitũ.

Clu-

Clusini turmatim confluere, fama, vt fit, rem opinione celerius peruulgante. Adolescentulus autem: Heus Exequarij, sedulam inquit, date operam, ne multitudini huc procurrenti vna & altera feminarum ex primaria nobilitate admisceatur. Prohibent Superi, viuo me, atque indicante, oculis piacularem gemmam ab alterutra vsurpari; alioqui præproperas & effrontes, lethaliter redormiens effugero, mutire ausus præterea nihil. Hugonis & Ranerij Marchionum vxores sunt, quidnam lustrationibus perpurgari dignum, rem vtrique optabilem inuideat, & Deus arcanis animorum illabens nouit, & vos cælestem opem vobis, illisque suppliciter exorate. Me verò haud quidem in sepulchrum à parente destinatum, intuleritis. Signa è metallo quæpiam in proximo occurrent vobis: inibi cum plusculum effoderitis, marmorea arca, Icunculis extantibus mirè ficta, striataque, illicò emerserit, in ea huic corpusculo obtegendo reseruata, me reconditote. His dictis, tradito Parochiali Curioni ANNVLO, pheretro componitur, atq; in Cælum reuolat.

Duorum Marchionum Vxores arceatur ab adspectu Annuli.

Puer iterum emoritur.

Hoc loco quandoquidem monumenti fortuitò eruendi, & multo antè, vt est

cre-

credibile, ingesta desuper humo, delitescentis, nos Pueri vox admonuit: nescío, an pulcherrimi illius, ac celebratissimi sepulchri meminisse debeam, quod in eodem suburbano Porsena, Etruriæ

Porsenæ Regis sepulchrũ

Rex, sibi magnificentissimè inextricabilis Labyrinthi in modum, quatuor in summo Pyramidibus impositis, quadrato vbique lapide, extruendum curauit.

Varro de Labyrintho Regis Porsenæ.

Sed prouocasse ad Varronem, id propè fabulosa expositione exprimentem, satis habuerimus: nos ad veras exequias, nemine iam atrato præter Ranerium, ob extinctum denuò filium mœrentem, & in lacrymas coniectum, reuertamur.

Ceterum est quo frangatur marmor, est quo mollescat adamas; nihil est, quo mortem delenias. quicumque Senem antea in tam tristi iactura lugere non prohibuerant, cum alieni ipsi non possent non lugere: nunc mutata voluntate valdè indignantur, acriterque increpant, si pergat obloqui, nec luctum ponat: quasi molestè vnus videatur ferre, quod vniuersis Ciuibus per Filium tanta obtigerit felicitas; & sibi ægrè quodammodo sit, quod ille ex huius vitæ præreptus naufragijs, quæ nostra viuacitas suo magno malo experiri cogitur, abie-

rit

rit tam citò ad Angelorum contubernium; quique votorum memoriam parenti refricuerit; & munus longè nobilissimum, à Superis, quos Vrbi in posterum propitiasset, impetratum, omnibus indulgentissimè prodiderit.

Funere iam producto, ac perfecta pōpa, metallum & Mausolæum, vti prædixerat Adolescentulus, inuenta sunt, sepulturæque magna cum admiratione mandatus. Exinde suburbanam S. Musthiolæ Ecclesiam non tam tumuli prodigiosè in lucem extracti nouitas, quam sacrarum Reliquiarum opulentia insigniuit, eòque totius Etruriæ, Vmbriæque accolas familiaris peregrinantibus curiositas inuitauit. Perusinos eò celerior miraculi fama peruasit, & vt Mariæ cultui impēdiò obnoxios ab intimo sensu suauior cogitatio permouit, quo eiusdem cognominis Aedes per id tempus in Augustæ Vrbis pomoerio ad portam Regionis S. Susannæ ferebatur, cui ijdem Canonici Regulares præerant, & ad D. Musthiolæ Clusinā Aedem pertinebat: vtraque tamen nostro ac patrum æuo bello & ruinis deformata. Prior Præposito & Collegio iampridem caret, cuius paullò solutiorem disciplinam A-

Ranerij Filius sepulturæ traditur.

Regio S. Susannæ Perusiæ vna è quinque Vrbis regionibus.

Alexand. 4. lexander IV. anno ducentesimo sexagesimo secundo supra millesimum, scripto edito, seuerè coërcuerat: ex alterius ruderibus renatum apud nos est Monialium Cœnobium, quæ ab arctiore D. Francisci regula, & vestitu asperiore, Capuccinæ appellatæ sunt.

Eccl. Monialium Capuccinarum Perusiæ ad Diuæ Musthiolæ Clusinæ olim pertinebat.

Ergo catenula quædam aurea Annulo alligatur, qua, cum spectandus publicè proponeretur, suspendi, altèque circumferri posset, idemque in æreum loculamentum, iligneo trunco conuestitum, vt erat vasculorum & metalli pretiosioris, crustis aureis ac sigillaricijs exornandi rudis eius loci antiquitas, coniectus est, & operculo inducto, claui, quo supinam magis arguas, haud quaquam Laconica obseratus. Prius tamen quàm angusta atque inornata cistula reponeretur, nonnulla signorum editio, quæ religioni efferuescenti adstrueret fidem, vulgari cœpta est.

Annulus catena alligatus.

In rudi theca includitur.

Vualdradæ arescit Digitus quem Annulo inseruerat.

Etenim regij sanguinis femina, Vualdrada nomine, præcipiti quodam pietatis œstro percita, Aræ propior facta, Gemmam temerè corripuit manu, ac digito annulari inseruit. Is, dictu mirum! (ac res peracta concursu populi, terrore simul & veneratione cernentium) con

ti nuò

tinuò exaruit, & articulis remissis, illa eòdem relapsa est. Quale temeritatis pretium Hebræus quondam tulit, qui sacrosancto, in quo Mariæ iacebat corpus, impuras pheretro iniecit manus: quæ velut ad gladij ictum, etsi mox eiusdem ope Virginis homini restitutæ, conciderunt. Vualdrada verò, quoad vixit, in huius gloriam, vt quæ meritas nefarij ausus luerat pœnas, arefactum digitum, nunquam obuelata manu, Annuli testis vtique sanctius adeundi, fronte piè, sapienterque perfricta (nec cupiditas tanti fuit veniæ impetrandæ, stuporisque excutiendi) præmonstrabat.

Iudæo Virginis clementia restitutæ manus.

Vualdradæ digitus semper arefactus.

Haud hic omiserim, quæ ea de re cecinerit Vates non ignobilis.

Vt primum effulsit nitido splendore Lapillus,
Præstrinxitq; hominum lumina Gemma recens:
Irruit infrænis pietas Mulieris Etruscæ,
Cui dederat clarum linea prisca genus;
Irruit, & temerè acceptum digito inserit: ille
Continuò attractis aruit articulis:
Clusiadæ attoniti hæserunt. sed Femina Princeps
Certior hoc thalami Virginei esse decus:
Exorat Mariam, digitum ne deserat algor,
Aeterno arescat sed reus vsque gelu.
Vindicis hoc meruit pietatis conscius horror:
Hanc meruit Nuptæ Virginis Arrha fidem.

Longè cautior, prudentiorque est habitus Franciscus Vicinus, Templi Laurentiani Canonicus, & laxandis animarum laqueis pro Episcopo summa cum potestate præfectus. Cum enim, me puero, Decemviri, qui est supremus Perusiæ Magistratus, Annuli hierothecam reconcinnandam, ac repurgandam ex interuallo censuissent: atque hoc negotij Contulo de Contulis, antiquæ probitatis Viro, quique præcipua erga Onychen (sic Senex appellabat) religione semper exarserat, demandassent; Contulus & Vicinus, cui collegæ, vt Annulum tantisper in vase aureo seponeret, præceperant, immanem & ferream arcam reserant, partitisque operis, rem quisque suam studiosè & diligenter curant. Fortè id consilij, dum educeretur in mentem Contulo venerat. enixè Mystam rogat, vt Annulo aliquem digitorum induat, quantusque foret orbiculus, propius deprehendat. Atqui religionem ille sibi iniecit; nec, rem denique vt auderet, vllis precibus adduci potuit. Quod factu procliuius fuit. sicuti è cera ritè consecrata finguntur Agni, quos demersos lustrali aqua è magnis peluibus, primo & septimo quoque anno

Francisco Vicino Canonico Annuli in calice seponendi potestas facta.

Contulus de Contulis.

Annuli Aedicula repurgatur.

Mystæ in Annul. reuerent. Agni cerei.

Consuetudo Pontificũ Romanorum Agnos consecrandi primo & septimo Põtificatus anno

anno, argenteis adhibitis coclearibus linteatus Pontifex, vna cum amplissimis Patribus educit (& faciebat, dum hæc scriberemus, Paulus V.) ita in cerea effigie, instante Contulo, à Vicino expressus est Annulus. quem Contulus, si quandò Ischiade laboraret (ac persæpè antea) nunquam non salutarem, coxendici admotum, expertus memoratur.

Paulus V. M.DC.XIX. Annuli effigies in cera.

Ischiade laboranti salutaris.

Ego quoque Romæ ab hinc quadriennium Principum aliquot Feminarum rogatu, Annulos ex ebore conflatos Perusiam transmisi, curauique piacularis attactu nostri, quasi diuinam ex eo hausturos indolem, consecrari. quod deierarent, mulieres partui propinquas, seque difficili nixu excruciantes, si gestassent digito, subleuari: neque huius expertes muneris ferũtur, qui B. Annæ corpus apud Gallos transalpinos attigere; quique D. Ioannis, Equitum Melitensium patroni, digito inserantur. Noster præterea eorũ oculos, qui ipsũ defixi cõtemplentur, ita iuuare traditur, vt si qui in dies obtundi sibi vim luminis, hebetariq; indoluerant, hi arcanũ illud virus introrsum restingui; & refoueri, augeriq; hoc attentè inspecto, imminutam aciem è vestigio sentiant. sic vt coloribus

Eburnei, qui hunc tetigerint, parientibus vtiles.

Annul. B. Annæ in Gallia Transalpina.

Annuli Hierosolymitani.

Annul. Perusi nus prodest oculis caligantibus.

floridis, aut ſuccis non vna ratione eliquatis, minus deinceps vti habeant, qui feſſos aut cæcutientes quoquo pacto recreare, vitiaque amoliri aſſueuerunt.

Conciliat diſcordes coniuges.

Ad hæc reconciliandis Coniugum animis, qui ferali diſſidio inter ſe certauerint, mirè prodeſt: cuius pacificationis gratia complures voto adſtricti, ſe Peruſiam conferunt, fructuque domeſticæ profligatæ diſcordiæ iucundiſſimè potiuntur. Affirmauere iampridem multi, egoque non ſemel interfui, cum malorum Geniorum terroribus exagitati quidam, ad hunc ceu ad ſacram anchoram, confugere; eoſque in poſterum Dæmonum terriculamenta nihili duxiſſe: tum mulieres à tæterrimis Lemuribus obſeſſas, Annulari Aræ propius factas primum ingentibus Sacellum impleſſe clamoribus, deinde eoſdem à corporibus Mariæ ope excuſſos, exactoſque. Vſqueadeò verum eſt; miraculis interdum à Deo tam honorem Reliquiarum aſſeri, quàm hominum pietatem; ad quos ſubindè rerum piacularium promanat inſinuata ſalubritas. Et vt alia taceantur, illud de Theca lignea, in qua gemma goſſypio obuoluta, Peru-

Fugat Dæmones.

Reliquiæ Sanctorum.

Thecæ ligneæ operculum ab incendio tutum.

ſiam

ſiam allata eſt, prætereundum non videtur; quam apud Iordanios religiosè diutiſſimè ſeruatam, viſere etiamnum licet: aiuntque; cum Iordaniarum Aedium pars ſuperioribus annis concepto igni conflagraret, & aulæa, arcasque aliquot incendium validè abſumpſiſſet, ſolam thecam, omnibus in ſtuporem adductis, quam flamma non attigerat, inuentam eſſe. Quin cum primarius è familia goſſypium inibi latens, profanos neſcio quos ad vſus transferre meditaretur (haſtatorum luſus, & armatas per iocum acies, fabulaſque Alexandro Riario Cardinali Legato tum Ciuitas dabat) quoties diremptum in flocculos digitis capiebat; toties flamma vri, lædiq; acerrimè videbatur:

Goſſypium, quod in theca Annuli olim fuerat, manum temerè accipiẽtis vrit.

Alexander Riarius Card. Legatus Peruſiæ.

Sed nos eò tandem flectere orationem decet (ex quo poſt CCCCLXXXIV propè annos de Cluſino Cimelio apud Cælites tranſactum erat) quò me Patriæ hortatur caritas, quam ſcriptorum penuria omnis generis, ingrata obliuione damnauit.

Annulus apud Cluſinos annos 484. manſit.

Et quidem præſenti diuinæ opi acceptum ſine cõtrouerſia referas, quod Vrbs Senenſium Reipub. obærata, inter Aretium atque Vrbem Veterem media, Cor

De Vrbe Cluſio.

tonæ finitima, neque adeò virium, Etruriæ præcelso monti imposita, exiguarum, tam precioso pignore spoliari posset: Perusia, quod in præcipua felicitatis parte ponat, collocupletaretur, obses Fidei vetustissima, & spectabilis Ecclesiæ militantis Filia, quo eam vocabulo Clemens V. decorauit: cum illi aperiendæ facultatem litterariæ ACADEMIAE, trecentis ab hinc & tredecim annis, meritissimè indulsit.

Perusia.

Clemens V. Erectio Academiæ Perusinæ sub annum 1307.

Aequum sanè erat, regiam inter Etruscas Ciuitatem, quæ vsque ab heroicis primorum Fidei columinum temporibus, Christianæ militiæ nomen dederat, marito veluti Cælo copulari, quod ab obitu resurgens Christus triumphali pompa tesserarijs suis patefecerat: inde opinor, Matris suæ ANNVLO, cuius clientelæ maiores nostri semper adhæsere, subarrhare constituit, & orbiculari serto imposito coronatam sponsam, melioribus auspicijs consalutare.

Agebatur annus salutaris septuagesimus tertius supra millesimum & quadringentesimum, Petrus Riarius biennio ante à Sixto Quarto Cardinalis renunciatus: Perusiæ ac toti Italiæ (prouincia iam decesserat Iacobus Card.

Annulus aduectus Perusiã anno 1473 Petrus Riarius Card. Legatus Perusiæ Sixtus IV. Iacobus Cardinalis Papiensis.

Pa-

Papienſis) legationem ſuſceperat : Vrbani verò Magiſtratus Princeps erat Matthæus Franciſcus è nobili Monteſperellorum familia; quo tempore ſingulari Mariæ Virginis beneficio, naſcentis, &, vt ſic dicam, vagientis matrimonij pignora, inter prima prodeuntis in lucem ſalutis incunabula, in ditione Peruſina & haberi ſanctius, & ab exteris propter excellentem Vrbis nobilitatem coli fructuoſius cœpta ſunt. Quæ autem ratio à rudi quondam populo ſacratiſſimæ ſeruandæ rei inita fuerit, quæque è caudice,& ſtirpibus arborum fabricata receptacula,ergaſtuli vice,Cluſinis probarentur, & apertè expoſuimus, & nunc reticendum non eſt,quàm parum tuto conſilio, cum per cauſſam alendæ pietatis in publico ſtatuendus erat Annulus,alieno ad id miniſterio vterentur. Non rarò enim, vt ſe quiſq; offerebat, fucatæ modò religionis obtectus pallio (de hominis fide candidis ipſi moribus ſupinè iudicabant) non grauatè ad opus temporarium admittebatur.

Matthæus Franciſcus Monteſperellus primus XVir.

Annuli oſtendendi copiã cuius faciebant Cluſini.

Forte è Muſthiolæ Fano, tum mirum in modum ruinis labefactato, dirutis quoque Regularium Canonicorum ædibus,

Eccleſia S. Muſthiolæ labefactata.

Annulus ad Aedē S. Francisci translatus Clusij.

bus, Magistratus, cuius & nutu ostendebatur, Clusium in D. Francisci, cui sodales ex huius familia operabantur, Calcedonium iusserat importari, & suggesti ad latus, effosso in pariete conditorio reponi, vt verba ab populum de superiore loco facienti, ostenturoque, præsto esset: quæ nimirum opportunitas Germani cuiusdam, in Franciscano sodalitio ministrantis, industriam exacuit, & nefarios conatus, inexplebili temeritate præfultos, indignissimè prouexit.

Fr. Vuintherius Germanus.

Atque hic Vuintherius nomine, patria Germanus, moribus, qui in speciem virum probum, & Francisci instituta seriò profitentem deceant, re vera fucatissimum nebulonem clamitantibus; ne ab exoleta gentis religione desciuisse videretur, Tuistonem Deum & Filium Mannum si minus sermonibus vsurpabat, Mercurio certè cultum impendebat, hoc est, rapinarum amorem, ad intimos animi sensus occulta quadam affinitate pertingentem, hauriebat. Enimverò hominis laruata pietas cum insignem vultu venderet sanctimoniam; decressetque, contempta Numinis reuerentia, in sacrum Annulum irruere; quo,

Tuisto & Mānus filius Dij Germanorum

Vuintheri cō silium de surripiendo Annulo.

siue

siue intestino in Tuscos odio, ne cælesti donario diutius fruerentur, siue vt, versa in sodales inuidia, fortassis infensos sibi, captato tempore Ingæuonas, atque Hermionas suos liberalissimè muneraretur: die quodam Magistratum adijt, precibusque institit petere, se vt rei Annulariæ præficeret; nihil se ardentius exambisse, vtpotè è Germanijs profectum; quàm vt nuptialem Mariæ Annulum aliquandò proximè inspiceret, tangeretque. Ingæuones pop. Hermiones.

Cui non imponeret tam eleganti pietatis inuolucro contecta petitio? oportebat ab humanitatis iure abesse, qui honestissimo voto non annuerent, laudabili fiduciæ non suffragarentur. gratiosa erat caussa rogationis; habebatque in petitione multos cupidos sui gratiosos. Fauent omnes, & stato die expetitam anxiè prouinciam non oscitanter obit.

Concione habita, dum consuetam in latebram propositum populo Annulum pronus vt recondere videatur, incumbit, quandoquidem manuleatis ampliter tunicis incedebat, in manicas reijcit, ostiolum astutè oppessulat, & clanem, vultu effonti, totus ad agenda s Vuintherius Annulum saf. furatur.

gra-

gratias fictus magistratui resignat. dein suffarcinatus, & thesauro in sinum collato, arreptoque, quidquid furto, fugæque commodissimum est visum, Clusio clanculum demigrauit. Excusatior pro fectò, si saltem emendicandæ stipis studio circumtulisset, Vrsidongenses Clericos imitatus, qui quæstus caussa sacra B. Gislenij ossa suis humeris per vicos & plateas gestasse perhibentur: donec S. Gerardus eos Monasterio exuit, & S. Confessoris reliquias ex Melbodio, quo furtim perlatæ fuerant, Vrsidongum reduci imperauit.

Arripit fugã.

S. Gisleni j corpus ab Vrsidongensibus Clericis scre ptum anno 955.

S. Gerardus.

Sed Vuintherius scilicet ab eò longissimè recessit, quod apud gentiles suos fuerat in more positum, vt fortissimi quique, donec se cæde hostili absoluerent, ferreum Annulum quasi vinculum, gestarent: Annulum hic quidem gemmeum, ceterum imbellis ipse, atque ignauiæ mancipium, ceu catenam & laqueum, ferebat secum, quo videlicet tantum non elisis faucibus, qui fidem perfidè violarat, interiret. Quanquam è summo maleficio summum ad nos beneficium redierit, & pessimum cucullati incœptum præter spem sibi, exterisque feliciter cesserit. Quarè tantundem rapte-

Ferreus Annulus Germanis ignominiosus.

raptori debeamus necesse est, quantum vel munificentissimo largitori vix vnquam debuerimus.

Quid quod Spinarum alteram, ex immanissimo acceptam furto, quod Christi patientis capiti impressum fuit, perinde atque Annulum, è nostris quidam ex alterius Franciscani laudabili furto profectam putant, qui è Caluio, Vmbriæ municipio ad Sabinos, clepserit, & Perusiæ in percelebri sui Patroni Aede, regionis S. Susannæ confinio, collocarit. Sed manifesta in re allucinantur è longinquo enim aduectam cum Petrus Donatus Episcopus Patauinus, Perusiæ, Vmbriæque pro Martino V. Legatus, ijs litteris planissimè testatur, quas de permutanda supplicationis die, à Natali Dominico ad Ascensionem transferendæ, exarauit: tum è Lotharingia maximè petitam, armarium ferreum, in quo reconditur, sigilla, characteres, stemmata, aliaque peristromata nos perspicuè docuere.

DeSpina Christi apud Minoritas Franciscanos Perusiæ, opiniones.

Caluium in Sabinis.

Petrus Donatus Episcopus Patauinus pro Martino V. Legatus Perusiæ Litteræ datæ 1430.

Lotharingia.

Clani fluuio superato, exorta confestim caligine impleuere se campi, tantumque nebularum exudare sunt visi, vt Vuintherium, quo se verteret, quàue faceret vestigium, ancipitem trepidantem-

Clanis fluuius.

Caligo exorta Vuinthario abeunte.

Milites Lauretanam Domum diripere volẽtes, nebula coërcentur.

Franciscus Maria Vrbini Dux.

temque reliquerint. Hac fermè ratione militibus prædæ cupidis, & ad diripiendam Lauretanæ Virginis Ecclesiam proruere cogitantibus (quanquam Francisco Maria Vrbini Duce, qui à Leone X. ditione exutus Picenum agrum. infesta populatione percurrebat, reclamante) repentè nebulæ de cælo lapsæ feruntur obortæ; quæ paullatim circa templum densatæ, eius conspectum ademerũt; cũ tñ propinquiora circũ loca Sole essent illustria. Germanus vbi diutius incerta se cura distrahi, ac moliendo passus obniti frustra animaduertit: facti obstrepente conscientia, immissam diuinitus nubem animo reputat, seque patrati in Deiparam sceleris reum seuerissimè accusat. Igitur humi proiectus, profert è sinu Annulum, & Arbusculæ, penes quam hæserat, catenula suspendit, solutusque in lacrymas:

Vuint. B. Virg. Annulo supplicat.

Tène, inquit, sanctissimorum Coniugum Vinculum, nefarius ego ac vecors, per summam contumeliam atque indignitatem subreptum, transferre aliò studuerim? O me sacrilegum! quem neque hospitij planè inuiolabilis religio, neque maxima Clusini populi in immerentem liberalitas, aut legum metus, neque

que iurati dignitas ministerij, quam fœdissimè pollui, ab execrando consilio deterruere. nec interim occurrit, quid agam, quid mediter, meam ipsius haud quidem miseratus, verius detestatus insaniam. Si te Clusinis tuis restitutum velim; æquam sanè rem præstitero. ceterum quæ conuiciorum, quæ suppliciorum aduersum me plaustra ad necem vsque deriuaro? Fac verò perhumaniter accipiant, & delicti gratiam faciant; haud me oppidò absoluam ipsum, à quo pœnas expetent non tam Furiæ iniquorum facinorum vindices, quàm commilitium ipsum meum, cuius vexillo ac paludamento, è pij Patroni castris transfuga, procaciter illusi. At tu diuinum Cimelion, cuius vnius splendor latè meas dispellit tenebras, & in quo omne perfugium & præsidium statui meum, permitte, vt ab Orbiculo tuo, quasi Iri, Orbem translucidis coloribus ambiente, pacemque mortalibus ac fœdus indicante; permitte inquam, abs te veniam impetrem. tuque caliginem, quæ vadentem meritò obruit, quandò illam ab animo iam eieci, à corpore discute; quaq; deinceps calcanda via sit, præeunte luce, clementer ac benignè præmonstra. Annulus Iris

ſtra. En quæ te ſcelerato auſu tractauit manus, tuoque beneficio non obtorpuit, non exaruit; ſi modò nihilo pacatiore te vtatur, quàm paullò ante vſa eſt: en te ſcilicet ſubmiſsius, reuerentiuſque reſumpſerit, & iucundo horrore, quacumque iter aperueris, opem iam ex hoc contactu tam expectans, quàm poſcens, fidentiſsimè detulerit.

Vuintherius cum Annulo Peruſiam proficiſcitur.

Ac receptus quidem Annulus, tanquam Magnetis vim latenter obtineret, ad Vrbem apud Tiberim, Etruriæ culminibus impoſitam, flectere viam hominem coegit; ſic tamen vt à tergo ab eadem vtique nebula vapularet, ſibique propius ſuccederet, quò progrederetur lõgius: fulgor autem coruſcaret in anteceſſu; & tantò certior, viuidiorque verſaretur in oculis, quantò maiores prius tenebræ animo fuerant obortæ.

D. Mariæ Nouellæ Ecclesia Auguſtinianorum. Alia S. Auguſtini Eccleſia vtraque in regione S. Angeli.

Tandem ſplendore illo duce Perusiam attigit, & ad Nouellanos ſodales, siue Auguſtinianos, qui à læua occurrunt euntibus ad Septentrionalem Portam, arduo in cliuo (alij magnificentius Cœnobium à dextra Viæ Angelicæ incolunt) diuertit. Illinc verò ſuſceptum in Germaniam iter identidem arripere geſtientem, eadem viæ aſperius caligantis

tis difficultas ſemper deterruit, & cæca vndequaque nubes, nulla iam antrorſum affuſa luce, mirabiliter oppreſſit; neque ad eam leuandam moleſtiam accenſa quidquam funalia, aut iteratæ ex animo preces profuere. Optimum itaque ratus interſiſtere, dum commodiorem, & Cælo magis placitam nanciſceretur exeundi facultatem, vt dies diem trudit, potioremque conſequenti præſcribit modum, rem cum capite amiciſſimo communicare, & in ipſius laribus occultare decreuit.

Vndeuiginti interceſſerant dies, in quibus non prædonis tantum viſui tenebræ interdiu offecerant; ſed etiam vniuerſæ Vrbis faciem fumus ingens, & nebula craſſior prodigiosè inuaſerat, ſic vt Solis Lunæque fulgor pluſquam annuis & menſtruis defectionibus euaneſcere, Aſtra, priſtino deperdito nitore, miſerabiliter langueſcere viſa ſint. Cum tamen hæc omnia Naturæ legibus tunc mirè aduerſarentur, Iulij caloribus vehementer æſtuantibus, varioque inter ſe ſe congredientium occurſu Siderum, aut fuga diſſidentium immodicam adeò caliginem prohibente; Saturnus autem Cancri ſpatia metiretur, & Sol Leonis do-

Peruſiæ dies xix. tenebræ apparent Annulo ſublatente.

Nullæ caliginum cauſſæ Peruſiæ Anno 1473. Menſe Iulio & Auguſto ineunte

A die x. Iulij.
♄ in ♋
♃ ♏
♂ ♊
☉ ☾ ♋
☾ ♌
♀ ♍
☿ ♋
☊ ♏

domo vteretur, & Procyon proximè abesset. Vt interim hoc quidē loco rideā fabuloso æris sono vanescentem Lunam: nec crassum &concretum Cælum editissimis Etruriæ Montibus tantoperè vnquam immineat, & Tiberis aliòqui ad duo millia passuum imis ab Vrbe procul radicibus decurrens, nebulosum hunc halitum ad mœnia penetrantem non exsudet. Monstri caussas minus, opinor, deprehendisset doctissimus ea æta te Ioannes Regiomontanus, paullò antè è Germanijs Romam à Pontifice, ad Paschatis rationem, temporum interturbatam lapsu, reuocandam, accersitus, cui Ecclesiam Norimbergēsem destinarat. Quamobrem haud dubiè affirmauerim, effusam latè caliginem, oblitescentis apud sacrilegum hominem Annuli, indicium fuisse, & ad iij. Nonas Augusti, Deiparæ id statuente Numine, perdurasse; ac tum demum remitti ac rarescere cœpisse, cum Vuintherio diuinitus ea mens immissa, vt patrata Clusij Iordanio palam faceret (quod illicò præstitit) & consilium, non, quod dicitur, in arena, sed in medijs tenebris, iudicio ad hæc prodigia caligante, venaretur.

Ioannes à Regio Monte Romam à Sixto euocatus. Moritur in Xenodochio S. Spiritus in Saxia.

Erat

Erat Vuintherio Perusiæ cum veteris ius hospitij & domesticus vsus, tum contracta pietate propinquitas cum Luca Iordanio, singulari probitate, ac prudentia prædito (filium aqua lustrali, dicto initiationis die, tinxerat) huic ingens depositum amicè prodidit, omnium, quæ in itinere obtigerant, fide planissimè exposita, siue facilitate naturæ, siue callida, & ad deuinciendum sibi arctius hominem apta imagine. Sperabat enim, vbi recrastinator esse desijsset, Tuscum Germano abiturienti præstò futurum, & haustas criminis, aut trepidationis tenebras ope tandem simplicioris ingenij feliciter exsolutum iri.

Vuintherius cum Annulo ad Lucã Iordanium diuertit.

Lucas qua erat sagacitate, caliginis à Clusina Vuintherij profectione caussa acutissimè perspecta, & eius, quæ dies iam vndeuiginti Vrbi incubuerat, pertæsus; Benè habet, inquit: vindices adsunt & Perusinæ nubes, in oculos mei hospitis, si quà temerè elabi tentet, incursuræ: quem amanter tamen, blandèque cohortatur, & magnis pollicitationibus aggreditur, vt munificam Patriã, cuius liberalitatem erga se profusissimam confestim posset experiri, Virginali Annulo donaret. Contra homo abnue-

re ; ſeque, cum abduxit Cluſio, certo conſilio religioni paternæ Vrbis apud gentiles Teutones, vt honeſtiorem locum ſacroſancto anathemati pararet, addixiſſe. Probare ſententiam Iordanius, ne quid in hominis animum ſuſpicionis caderet, , & præſtare id præſertim vetaretur, quod in tam volucri bono,& Ciuitati in primis conducibili, ſibi monitu planè diuino faciendum pro poſuerat.

Vuintherij conſilium de transferendo in Germaniam Annulo

Rem alius aliam, ſedulò vterque ſuã curat: hic vt itineri ſe quàm citiſſimè comparet, & ad Teutones ſuos pergere feſtinet, nimirum auſpicio lucis, identidem, ex quo hoſpitales inierat lares, internitentis, quæ,puto,iam erumpere, reddique in plenum geſtiebat, cũ immineret dies,Annuſo palam promendo deſtinatus : Lucas vt prædoni prædam piè ſuffuretur, ne qua poſt ſubeat animum pœnitentia,b olum tantum Patriæ è faucibus per ſocordiam ereptum.

Lucas Magiſtratum adit.

Subindè Magiſtratum adit ; nactuſq; mœrentes Patres ob diuturnas nebulas, attonitæ Vrbi circumfuſas : Mœror,inquit,faceſſat,obſecro: teneo,lucem quid excantet ; teneo, nubes quid pelliceat. per me tenebris modus eſto, modò ve-

rax

rax habeat, quamuis magnæ rei obnunciator & minister. Tum de Teutone narrat singula; nec celat de concepta spe lucis per Annulum, in Aedem sacram transferendum, recuperandæ. Ecquis, subdit, non manifestò deprehendat; Cælestes Mentes pro cultorum suorum incolumitate atque incrementis excubare? Mitto ex Vmbria sublatum bellum: mitto oppressam factiosorum manum. En, vbi pacatæ propemodum Romana ac Perusina ditiones sunt, allatum est haud ita pridem illuc Andreæ Apostoli ex Peloponneso Caput: ad nos in præsens MARIAE pronubalis Annulus. Hunc ego libens, volensque iam nunc publici iuris facio, & cum domi fuero, venerabundus venienti tradam Præsuli. Vos fouete pignus Ciues: & si qua vis externa adoriatur, obfirmate animos, æternumque, vel amisso spiritu, retinete: me meosque seruate propitij semper in clientela.

S. Andreæ caput Romam allatum 1461.

Lucas Iordanius Annulũ Perusinis donat.

Vbi talia audiuere, lætitijs nunquam maioribus Patres incessere. res in publicas tabulas à Paulo Simeonis decemuirali graphiario excepta est. Et quo certior muneri adijceretur fides (instantibus ferijs, in quibus Clusini & vulgò E-

Perusini clam mittunt Clusium, exploratum, desitne ibi Annulus.

trusci omnes ipsius recreari adspectu consuessent) placet Civium illuc solertiores aliquot ablegare, vt obseruent clanculum, si quid, stata die, apud Franciscanos palam, absoluta concione, ex Annulari conditorio proferatur. Sententiæ frequenter succlamatum. Amandāt, qui per speciem religionis, veluti gregarij homines, turbæ in confertissimo theatro se immisceant, & effronti pietate suggesto, ac hierothecæ, quantum queant, propiores fiant: Quid multa? spectatæ fidei exploratores de inani reperta pyxide, de rubente ac rudente administro, de illuso gentium, quæ adfluxerant, exterarum voto, mira denique de obstrepentium & tumultuantium clamoribus, Germanum Cucullatum, qui postremus omnium è sublimi ostenderat, ad gladium, ad crucem deposcentium, renunciarunt.

Clusij turbæ ob Annulum non repertum

Iacobus Vannutius Cortonen. Perusiæ Episc.

Ea tempestate Iacobus Vannutius nobilis Cortonensis, magna sapientiæ, ac sanctitatis laude insignis, paullò antè è familia Nicolai V. & Callisti iij. post Ecclesiam Ariminensem, Perusinam Episcopus moderabatur; Bononiæque Prolegatum & Pontificis Vicecamerarium Romæ egerat; ; quique obijt Archie-

chiepiſcopus Nicenus, ad Dionyſium nepotem, poſtquam Peruſiæ XXXV. annos præfuerat, eo translato Antiſtitio. Hunc celeriter Patres conuenere, deq; oblato præter opinionem cæleſti Donario, exultantibus animis, fecere certiorem, à quo ſub diei veſperam iij. Nonarum Sextilium, ſollemni indicta ſupplicatione, è Iordaniorum domo, in ſuburbanum Vuintherio abducto, ſacroſanctus ANNVLVS, inter piacularia Auguſtæ Vrbis ſacra, cum ter ſpectandus circumfuſæ multitudini, foro in medio, propoſitus fuiſſet, Decemuiralibus in Aedibus, in prætorio Larario reconditus eſt. Mirum dictu! eo in publicum prolato, diffractæ ſubitò nubes, caligo omnis depulſa, Vrbique in plenum ſerenitas reſtituta.

Dionyſius Peruſinus Epiſ.

Annulus delatus in Sacellum Peruſini magiſtratus. Serenitas Vrbi reſtituta, delecto Annulo.

Cluſij comperta proditoris fraude; grauis ciuibus eſt inuſtus dolor; laxatiſque iracundiæ frænis, omnes poſcere ad pœnam ſceleratum Myſtam, emiſſarios quoquouerſus dimittere, ſubtractum furto Annulum modis omnibus perueſtigare. Ea propter Antiſtitem ex Franciſcano ſodalitio (Andreacium Annales nominarunt) Peruſiam extrudunt, cui in iudiciū vocandi hominem, Cime-

Andreaclus Minorides Frāciſcanus.

lijque Virginalis ad ſe ſe referendi negotium dant. Qui dum commilitonem ſuum quà in Cœnobio Minoridarum, aut Socculatorum, quà in D. Mariæ Nouellanæ perquiſitum, à viatoribus tradendum in cuſtodiam curat: Lucas ſe meticuloſo, atque inopinãti Vuintherio offert.

Iordanius Vuintherio ſua det, vt Annulum Peruſinis & ipſe largiatur.

Enimuerò, te fugit, inquiens, cuius rei gratia tibi tam acres à ſodali tuo ſtruãtur inſidiæ Ceterum eò nunc tua conditio deterior facta eſt; quo neque ſi velis, quam apud me celari volueras, Cluſinis reſtituere Gemmam poſſis; quam Peruſina felicitas per me inter ornamenta, & præſidia iam numerat ſua, qua & ſe ſalutariter potitam æternum gloriabitur. Nèue meorum animos ciuium non tibi beneuolos & fauentes putes: omnem illi operam, curam, fidem in rebus, quas ad te pertinere intellexerint, ſtudioſiſſimè deferunt; proque tua incolumitate nullis non periculis, omnium inuidiæ, obuiam ire parati ſunt. Vnum modò officij reliquum beneficentiſſimis patronis, me auctore ac ſuaſore fideliſſimo, præſtes velim; vt vna mecum ad Decemviros te conferas; eodemq; Annulo, perindè etiamnum careant, comi-

mitate & beneficētia vſus, ipſos liberaliter afficias. Videlicet huius ſuſcepti cō filij te numquam pœnituerit: quin mihi gratias vltrò habiturus es hoſpiti, & Peruſinorum munificentiæ Teutones poſthabuiſſe tuos, ipſi tibi plurimum gratulabere.

Quid faceret & ſpoliatus prædo, & in hoſtiles ſodalium ſuorum manus præceps ruens? gerit Iordanio morem; Magiſtratui ſe ſiſtit; & publico iterum adnotante ſcriba, maritalem Deiparæ ANNVLVM, quaſi ære ſe alieno liberet, præconio munificentiæ cohoneſtatus, in omni conſequentium memoria ſæculorum efferendum donat. Præmia verò in benemerentem, Patrum ac Plebis vnanimi approbatione, ampliſſima extitere: decretaque in annos ſingulos vectigalia, & delata copioſè omnis generis ſupellex. Huic cum capiundo immineret Andreacius, quò citra grauioris metum diſcriminis Germanus verſaretur, neque in hoſtium poteſtatem deueniret: in Aedes ſummi Magiſtratus, ne fœderatæ Vrbi ille nō gratificaretur, & transfugæ minimum incommodaret carcer, captiuus modeſtiſſimè abductus eſt. Galiellus etiam Piccolhomi-

Vuintherius Magiſtratum Annulo donat.

Peruſinorum in Vuintherium liberalitas.

Capitur Vuintherius. Galiellus Piccolhomineus Epiſc. Cluſinus.

neus Senensis, Clusinorum Episcopus, Perusiam è vestigio aduolarat; suæque Annulum. Sponsæ, admotis precum ac minarum machinis, strenuè vindicare conatus est: quem omni genere humanitatis atque honoris exceptum, contra sapienter contumaces inanem operam suscipientem, nostri, obiecto pietatis clypeo, officiosissimè dimisere.

Venit Perusiam.

Porrò Senenses ciues sociæ Vrbis iactura grauissimè perculit. Nam Clusini, vbi in Perusinorum manus deuenisse Gēmam pro comperto habuere, nondum quidem de fœderatorum iniurijs miserant questum, verum quò ipsorum petitio apud primarium Etruriæ populum maioris esset ponderis, & Senensis Reipub. rationem nostri longè maiorem ducerent, enixè rogarunt: vt Senensium aliquem illuc proficisci iuberent; qui preciosissimum Deiparæ Donarium omni adhibito conatu, sibi restitui curarent. Haud neglectæ sociorum preces. Itaq; antè quàm è nobilitate quempiam legarent, præscriptis litteris, Perusinos antiqui fœderis, amicitiæque, nec non custodiæ sacrorum, quæ biduo post ipsi repetitum misissent, ita monuere.

Clusini de furto Senenses certiores faciunt.

Senenses pro Clusinis adnituntur.

Ma-

Magnifici Domini Fratres, & Amici carissimi.

ACCEPIMVS Gloriosæ Virginis ANNVLVM, qui à quodam Ordinis Sancti Francisci Fratre pessimo Clusinis nostris subreptus fuerat, pro Dei voluntate inuentum esse, & curæ vestræque custodiæ commissum. Sacrilegium ægerrimo ferebamus animo. Nunc vehementer recreati sumus, cũ in vestras manus venisse cognouimus; vbi æquè saluum scimus, ac si penes nos foret: idque pro nostræ veteris amicitiæ iure, & propter istius Reipublicæ iustitiam ac probitatem, quæ non minus aliena, quàm sua tueri consueuit, ea præsertim, quæ ad diuini cultus laudem & gloriam pertinent. Eas igitur SACRATISSIMAS RELIQVIAS, earumque obseruationem vestro studio maiorem in modum commendamus, quousque

Senensis Reipub. litteræ ad Perusinos.

que noster veniet Orator, quem ob eam caussam mittemus. Senæ die viij. Augusti MCCCCLXXIII.

Priores Gubernator Communis &) Senarum.
Capitaneus populi & Ciuitatis)

Nicolaus Burghesius.

Nicolaus Burghesius eques auratus, Vitas plurium Sanctorum & inter has D. Catharinæ Senensis eleganti stylo scripsit.

Hæ litteræ non perindè ab omnibus acceptæ, vt dissidiorum indices, quorum semina plusquàm gladiatorio subactu in posterum adoleuissent. Sicut .n. iucundum fuerat, animorum amoris glutino coniunctorum meminisse; simul subijci, quantum obseruantiæ & cultus rebus piacularibus deceret impendi: ita nec æquis auribus de Oratore adfuturo auditus nuncius, & multo iniquioribus de Reliquijs, tanquam de alieno deposito, regerendis. Quamobrem paullum de Legato admittendo addubitatum; quandò rem Clusino Præsuli nostri se reddituros præcisè negauerant. Verum tenuit sententia meliorum, ne reiiceretur, cum præsertim rescissent, rem ad Pontificem propediem à Clusinis delatum iri.

Perusini de Legato Senensiũ admittendo deliberant.

Ad

Ad Idus Sextiles Orator Senensis adest, Bartholomæus Bonaspirius, Vir excellenti virtute, ac feruido in patriam affectu, & propugnatione laudatissimus. hunc, mille & ducentis Perusinorum præsentibus, Decemuiri in comitium honorificè deducunt: tum præcursoriam fidei epistolam, ab ipso oblatam, à magistratus scriba palā recitari iubēt. Bartholom. Bonaspirius Senensium Orator.

Magnifici Domini Fratres & Amici carissimi.

IVRISCONSVLTVS & Eques Bartholomæus Bonaspirius, quem ad vos misimus Oratorem nostrum, quædam M. V. nostro nomine explicabit. Ideò habebimus gratiam, vt ei credant, tanquam nobis loquentibus. Benè valete. Senæ Die X. Aug. MCCCCLXXIII. Alia Senensiū epist.

Priores, Gubernatores Communis & Capitaneus Populi, & Ciuitatis) Senarum.

N. Burghesius.

Sub

Sub hæc multa de veteris necessitudinis communicata tessera, deque beneficijs vltrò citròque collatis memorauit. Ita Senenses de Perusino populo omni tempore meritos; vt in conspectu sociorum sacrilegum complecti hominem non debuerint, aut videri nefas, quod per fallaciam nebulo clepserit, non continuò remitti. Idcircò rogatum ad ipsos extrudi se se, vt sartamtectam malint gratiam, qua Senenses & Clusini Perusinis semper adhæserint: quàm rem transigi controuersijs, quæ populos domestico Cimelio imminentes, acriter premant, distrahantque. Haud profectò decere Christianas Vrbes ea propter intestinis dissidijs inter se scindi.

Marij ac Syllæ Annulus. Alius Cepionis & Drusi inimicitiarū caussæ.

Plus satis Marij ac Syllæ ob Annulum inimicitias notas: vtique eas inter Cepionem, & Drusum, ex quibus profluxerit origo socialis belli, nimirum ex Annulo in auctione venali. Minus hic ambigi ad vtros pertineat ille, cuius caussa illuc ipse ablegaretur.

Rusticus Mōtemelinus Antonius Acerbus. Ad Senensiū oratorē Perusinorum respōsio.

Bonaspirio ordinum Viri Principes, Rusticus Montemelinus, Antonius Acerbus Eques, cuius post cognomen in Insubria inclaruit, & Montesperellus humanissimè respondere. Augustam Patriam

triam agnoſcere, æſtimarèque plurimum deriuatam in filios à Cluſinis beneuolentiam: multò ſanctius Senenſium fœderi atque amicitiæ antehac litaſſe. Sed neque diem tamen ad deliberandum ſumpturam. ſtatuiſſe ſe (pace ſociorum) quod diuinitus obueniſſet, armis viriſque defendere; & ſi vim quoquomodo inferre alius conetur, eam audacter, vel oppoſitu laterum, & dubia ſuorum alea à ſe velle prohibere.

Rem quidem tantam Peruſinos, quãdiu fuit alieno iure ſuffulta, expetere nunquam auſos, per fucum ambiiſſe multò minus, nec cuiquam ſacrilegij patrandi onus demandaſſe. Quòd ſi honorificentiorem ſedem in Etruriæ, Vmbriæque Vrbium ampliſſima ſibi ſacer Annulus delegerit; non videri æquum, niſi in Chriſti Matrem iniurij dici velint, eundem non admitti ab ipſis intra pectoris conclaue, nedum intra mœnia, aut parietes, non & habere, ac fouere in arcanis, ceu Propitiatorium fœderis, & ſi quid apud veteres Myſtas erat carius, diuiniuſque. Proindè etiam ſocij caueant, ne Deiparæ iracundiam, quàm amorem experiri malint. Satis in aperto eſſe Lauretanæ Domus exempla, modò

Domus Lauretana sponte loco mota in Piceno.

dò Recinetensem insidentis siluam, modò in sublime in collem ablatæ, aut ab eodem longius demigrantis. Omninò vbi Cælitum obsolescat cultus, horum iras in exitium verti, & qui seriò supplicium luant, serò sapere.

Dimisso cœtu, Legatus muneribus donatur; atque honorificè è Senatu deductus, etsi magna spe deiectus, XXV. Augusti Senas reuertitur.

Ac dũ inter duas Respublicas, inuitis nostris, litium semina proferuntur: & Clusini hinc Perusinos sacrilegij reos apud Sixtum IV. accusant, inde Senenses decertare armis parant: nascentia Etruscorum odia sapientissimè compressurus, ne tela insaniæ fierent effusæ per religiosum classicum querelæ, Pontifex pro potestate intercedit, ad seque caussæ dictionem Romam vocat. Itaque Patrum decreto, Legati Perusinorum proficiscuntur ad Sixtum, qui per ferias Autumnales ex Vrbanis turbis, negotijsque Tibur se receperat, inde via Valeria, quæ ad Marsos ducit, ad Vicum Varronis in ædes magnificentissimas Cosmi Vrsini, Tranensis Archiepiscopi concessurus.

Perusinorum legati Romã ad Sixtum.iv

Tibur.
Via Valeria.
Vicus Varronis.
Cosmus Vrsinus Archiep. postea Cardinalis.

Delecti autem sunt Baleonius Vibius Iuris-

Iuriſprudentiæ ac nobilitatis gloria excellens, parique generis ſplendore & ingenij laude Gentilis Signorellus: qui gratiam, fauoremque emereri ſtudeant cum Petri Riarij Cardinalis, tum Comitis Hieronymi Fratris, affinium Pontificiorum; quorum vtantur opera ad euincendas, tollendasq; concertationes, quantæcumque à Cluſinis & Senenſibus hactenus fuiſſent ortæ, aut in poſterum ſuboriri poſſent. Nec de procliui erga Peruſinam Vrbem Pontificis animo ſubdubitabant; quam non ſuorum modò ſtudiorum palæſtram habuiſſet (Gymnaſium publicum Artiũ arcana, in Theologorum Peruſinorum Collegium adſcitus, de ſuperiore profeſſus loco, doctrinæ ſuæ luce ſplendidius, auguſtiuſque reddiderat) ſed etiam quaſi honorum matrem, atque altricem iure merito agnoſceret. Propterea ꝙ ibidẽ anno M.CCCC.LXIV. in Comitijs generalibus, Minoridarum Familiæ maximus Antiſtes XX. Maij renunciatus eſt; cum Iacobus Sarzuela ſe magiſtratu ſpontè abdicaſſet.

Baleonius Vibius. Gentilis Signorellus.

Petrus Riarius Card. Comes Hieronymus Riarius.

Sixtus 4. ex Collegio Theologorum Peruſinorum. In Peruſina Academia Theologiam profeſſus.

Ibidem Generalis creatur anno 1464

Iacobus Sarzuela.

Interea Vuintherius non ſemel, Cluſinis id impenſè Pontificem rogantibus, in anguſtiorem carcerem manci-

Vuintherius non ſemel truſus in carcerem.

patur; in clementem & percommodum tamen, hoc eſt, intra Palatij ſecretiores aulas; quem, quoties Senatus haberetur (ac perſæpè, rebus ita exigentibus, habebatur) nunquam non Ciues in eam iuere ſententiam, vt primò quidem menſtruum, poſtremò annuum cenſum alio atque alio veſtigali cumularent; dabantque operam, vt fœneratitiam cuſtodiam meliore in dies conditione incoleret; quàm ſi laxioribus Vrbis tectis, aut ipſo denique inter ſuos priuato Antiſtitio frueretur. Quinetiã, vbi Aduerſariorum minis intepeſcentibus, deſitum eſt in hominem inquiri: annos plus minus triginta publico ſumptu liberè, iucundèque traduxit. Parœcia in primis S. Ioannis, haud longè ab ampliſſimis Magiſtratus Aedibus, eidem à Præſule Abbatiæ S. Poli, in cuius ære Eccleſia illa ferebatur, Optimatiũ rogatu in triennium demandata eſt; idque in annis conſequentibus, quo ad pæne vixit, renouatum: egregiè in paſtorali munere Teutone gerente ſe ſe. In ea nunc Eccleſia Congregationis Oratorij Patres operantur, qui B. Philippi Nerij, illos ſecuti duces, qui in Vrbe proximorũ ſaluti fructuosã adeò nauant

Eidem ſemper fructuoſus carcer.

Eccleſia S. Ioannis.

Peruſiæ Congreg. Oratorij.

B. Philippus Nerius in catalogo Sanctorum adſcriptus à Greg. XV. die XII. Mart. M.DC.XXII.

nauant operam, instituta profitentur.

De Vuintherij autem sodalitio non me fugit à plerisque addubitatum; eorumne in militiam Fratrum cooptatus esset, quibus à Socco, atque ab Obseruantia nomen est inditum; an qui Minoridæ Conuentuales appellari vulgò solent. At fuisse ex horum classe indè maximè docemur; quod ipsum vita functum acerrimo studio Canonici Laurentiani, & sodales Franciscani è Minoridarum familia sibi asserere conati sunt. Quanquam Prolegato iubente, demortui corpus Laurentianis attributũ fuit, eodemq; in Sacello, quod seponendo Annulo Decemuiri destinarant, tumulatum. Hoc præterea è sepulcrali programmate perspicuè deprehendas, quod Antonius Fantotius olim scripsit, è cuius schedijs, sicut superius allatum de Vualdradæ arefacto digito concinnum Epigramma, eruimus; cuiusque elegantibus Musis Feltriadem, Poema heroicæ maiestatis plenum, populares debemus.

Vuintherius Minorides Franciscanus

Antonius Fantotius Feltriadem edidit

FR. VVINTHERIO

Natione Teutonico, professione Minorida Franciscano; cui Perusia ob pronubalem Mariæ Annulum, for-

Vuintherij Epitaphium.

tuitum donum, non minus debet, quàm si sponte obtulisset: vt, cuius luminibus pios digitos ad extremum officium admouit, eidem tumulum pro dignitate excitaret, & beneuolentiam ex diuturnitate ac nobilitate muneris cumulatiùs remetiretur, ARAM ANTE IPSAM, Iosepho, & Virgini Deiparæ dicatam; monum. pos. xxix. Octobris. Anno M. D. VI.

Iordanijs benemerentib. constituta vectigalia.

Porrò vt optimè de se merenti Iordaniæ familiæ Patria cum fœnore repo neret, quod acceperat; etsi Lucæ pietas benefactorum gratiam à nemine, præterquàm à Deo, expectabat, eidem tamen, Christophoro, & Iacobo Iordanijs fratribus pensionem annuam, Senatusconsulto in tabulas relato, præpinguem constituit. Ad hæc frumentaria quæque vectigalia in heminas, sextarium, modios, medimnum, & siquibus alijs mensuris dimetimur fruges, impendi solita: sublato vtique cuiusuis tributi persoluendi nomine; quæ munificentia in heredes amplissimè deriuata est. Præterea ne hostilem Annulo vim vllam domi à Senensium, & Clusinorum effer-

Arca ferrea pro Annulo custodiendo.

uescente ira pertimescerent; præsidium ab arca ferreis cótexta laminis decreta

est

est petere, in qua hierotheca occultaretur; quã aliud armariũ ferreum obuallaret: quo ritu in Aquensi Diœcesi Mariæ Magdalenæ, in huius Aede nominis magna cura Caput asseruari nouimus. S. Mariæ Magdalenæ caput

Et sanè Arca illic multis clauibus obseratur: nostra, quæ exterior, septem; fuerantque singulæ (sua cuique attributa) penes Episcopum, Archipresbyterum & Canonicos, Decemuiros, Mercatorum Consules, Collybistarum præsides, publicorum actorum Exceptores, ac Iureconsultos: interior munita ferro, vmbilicatis argenteis bullis spectabilis, hasce præfert in frõte notas. Clauium septem custodia penes quos.

M. CCCC. LXXIII.
TEMPORE M. D. P. ARTIVM CIVITATIS PERVSIAE RVSTICI DE MONTEMELINO ET SOCIORVM MENSE SEPTEMBRI. Interioris arculæ inscriptio.

Atque ea quatuor insuper clauibus obfirmata, datumque ius in singulas, Dominicanæ, Franciscanæ, Seruitarum & Augustinianæ familiæ sodalibus, tũ lege cautũ, ne cuiquã, nisi hisce præsẽtib. fieret spectandi copia, publicisque semper Graphiarijs in Commentarios ex Claues aliæ quatuor quibus creditæ.

De custodia Annuli decretum.

sollenni forma referẽtibus. Rursus sciscente populo, Patribusque approbantibus, seuerè interdictum: ne ab Augusta Vrbe abstrahendi, adsportandique aliò mortalium vlli facultas daretur. Si quis ea de re quocumque nomine referre, aut alienas litteras legendas proponere auderet; ni Centumuirali consilio, suffragijs in totum placituris, aliud fuisset visum; non solum è curia, sed ab Vrbe longissimè pelleretur, tanquam sacerrimus, perduellionis & parricidij reus clepserit ipse, rapseritque.

Cærimoniæ in Annulo ostendendo.

Et quò speciosior ac festiuior pompa redderetur, additi inter ostendendum designatorij ritus, vt nimirum tubæ clangerent, tympana, organa, concentusque musici perstreperent, æra campanaria personarent, sericati ac torquati adessẽt Patres, linteati Flamines, & Deo dicati reliqui. Res Septembri ineunte, Montemelino procurante, sollenniter peracta; Gemmæque recondendæ interfuere Vannutius Perusiæ Episcopus, & Michaël Angelus Barbius Cortonensis Proepiscopus, cum promiscua Magistratuum & Religiosorum turba; ab ijsque, quorum fidei credebatur, fides publicè excepta, & iusiurandum sacra-

1473 Kal. Septemb.

Vannutius Episcopus, Michaël Angelus Barbius Cortonensis proepiscopus

ſacramento emunitum . Exindè ter quotannis promi debere , decreto firmauerunt : hoc eſt , ad iij. Nonas Auguſti , Kalendis Nouembris , & poſtridie Paſchatis Reſurrectionis: deduceretur que , vniuerſo ſacrarum familiarum comitante cœtu , à ſacello Palatino ad Baſilicam Laurentianam: atque ibidem in ſuggeſto ab eximio Præſulū , horæ ſpatio vnius matutinæ , ac pomeridianæ , ad ſpectandū proponeretur . At tum pegmate quodam ſatis rudi , ligneoq; tēporario apparatu, præ foribus Laurentianis maiores noſtri feruntur vſi ; cum primum ipſo Aſſumptæ in Cælum Dei Genitricis die ab Antiſtite depoſcentis populi oculis obiectus eſt .

Ter quotannis palam efferri debere ſtatuitur.

Eccleſia S. Laurētij quæ & Cathedralis Peruſina.

Iam quod à Montemelino,idem mox à Lamberto Corneo Xvirum primo , alijsque factitatum, tametſi inſequente anno trina illa ratio ad vnicam,eamque Auguſtalem retracta . Quadriennio tamen poſt inuidioſæ legi , bonis efflagitantibus , itum eſt obuiam ; dieque altero Pentecoſtes, Dominicanis ſodalibus , qui Peruſiam ad Comitia generalia cupidè confluxerant ; itemque biennio exacto , Auguſtinianis oſtenſus eſt . Viris interea ex vtraque

Lambertus Corneus Trina oſtēſio ad vnā retracta.

Dominicanorum & Auguſtinianorum comitia.

ſodalitate doctiſſimis, atque ſanctiſſimis Annulum, æternæ prouidentiæ nutu Perufinis datum, connubij ſacroſancti prædem, demirantibus, & Perufinorum felicitati maiorem in modum gratulantibus. Sed quia biennium alterum Patres Peregrinorum, ciuiumque animos expectatione ſuſpenderant, ac plus nimio piorum affectibus interdicebatur: Io. Baptiſta Sabellus Romanus, qui pro Pontifice Tuſciam atque Vmbriam perluſtrabat (is mox Cardinalis tit. S.Nicolai in carcere Tulliano inauguratus) quandoquidem Viri Principes, obita ad D. Mariæ Angelorum propè Aſſiſium peregrinatione, viſendi quoque Annuli deſiderio adducti, Peruſiam ventitabant, nobiles ac pios hoſpites religioſo voto minimè fraudandos cenſuit.

Lex de unica oſtenſione abroganda. Io. B. Sabellus Cardinalis Legatus Peruſiæ Card. creatus 1480. Peregrini ad D. Mariam Angelorum, & Aſſiſium, item ad Annulum Peruſ.

Ea gratia ad dexteram delectus locus extra maiorem Eccleſiam, è regione Fontis, præpilata in gyrum crate ferrea celeberrimi, quà teſtudo pro foro quàm longiſſimè protenſa, & fornices aliquot ſubdiales Brachij Fortebracij iuſſu, antequàm ad Bononienſes in ditionem Pontificiam redigendos, proficiſceretur, extructi ſunt. Huc enim conſulares Viri

Fons Peruſiæ in foro maiore. Brachius à Martino V. Bononiam miſſus. Teſtudo ac fornices à Brachio pro foro xtructi.

&

& magnates conuenire ac congredi, & vbi publica de re quidpiam ſtatuendum erat, diſſerere, & conferre ſententias conſueuerant. Sub his porticibus (aliquandò etiam ſupra, editiore videlicet podio vſi ſunt) ſuggeſtus ſpecie quadrangula, lateribus æquis aſſurgens, ex aſſeribus compactus, intextiſque auro ac ſerico ſtragulis conueſtitus excitabatur: ex quo, elata in ſublime ſponſali Gemma, frequentiſſimo theatro fiebat ſatis. Iidem Fornices noſtra tempeſtate, periſtylo interrupto, multò rudiores, tectorio opere malè loricati viſuntur. Non longulè Iulij iij. Pontificis ænea conſpicitur ſtatua, in cuius baſi hæ tres Epigraphæ ad latera totidem leguntur præſcriptæ.

Suggeſtus tēporarius pro Annulo.

Iulij iij. ſtatua.

IVLIO III. Pont. Max. ob reſtitutos Magiſtratus, piè deprecantibus Fuluio S. R. E. Card. & Aſcanio Corneis ex Sorore Nepotibus, ad muneris, gratique animi perpetuitatē P. Peruſ. dedic.

In fronte æneæ Pont. ſtatuæ.

IO. THOMA Sanſelicio Epiſcopo Cauenſe, Peruſiæ, Vmbriaq; ſub PAVLO IIII Pont. Max. Præſide digniſſimo, Binus Signorellus & Collegæ XVviri erigendam curarunt A.D. M. D. LV.

Ad latus foriū Laurentianarum.

IV-

Ad latus fornicum.

IVLIO FELTRIO S. R. E. Card. Perusiæ, Vmbriaque Legato Illustrissimo, Borgarutius Ranerius & Collegæ primo Xvir sumptu publ. constan. locar.

Omnibus postmodò votiuũ iter iucundissimè cessit, & æquè hilares spectaculo admissi nostri, exterique: apud quos vt præ spectandi quantauis copia nunquam euiluit: ita nostros magis magisque in sui contemplationem semper illexit; arbitror, propter vim combibitam supra electrum, ac magnetẽ ex attactu Beatissimi Patriarchæ & Mariæ cõiugis felicium articulorum. Iam vt ostentandi crebritati minus parceretur, Viri grauissimi idẽtidem auctores fuere: ex horum fuisse numero aiunt Vincentium Herculanum Perusinum, ad Sarnensem primum, indè ad Forocorneliensem, mox ad Perusinum Episcopatũ assumptum, qui tenebras in id suadebat plurimum; hoc est, vt palam ablegata pompa, priuatim in Larario exhiberetur. Florentinos certè eam consuetudinem secutos in D. Virginis Annunciatæ sipario summouendo; quod gaudeat non rarò pietas obuelari, cuius aculei eò validius penetrent in animũ, quo

Vincentij Herculani Episcopi Perusini de Annulo nostro ostendendo consilium obijt 1586. Mens. Octob.

D. Virgo Annunciata Florentiæ.

quò carens ipſe ſpectris rerum ſe ſe agminatim ingerentium, lentius afficitur, atque percellitur. Verum enimuerò religionis ſenſus non triſtitia noctis lætior effertur, & per lucis iucunditatem non exſpirat: animi modò cæleſtium cupidine ſanctè intumeſcant, &, refractis contumaciæ repagulis, vitæ melioris ſtimulis incitati, non ignaua demiſſione fidei ſpatia peruagentur.

Ceterum coniuratis Senenſium, & Cluſinorum ſtudijs in repetendo Annulo, Peruſinorum in retinendo, nihil obſtinatius cerni potuit. Vibius ac Signorellus Tibure ſecundas Sixti aures nacti, præcipua in Virginem flagrantis flamma, cuius in Lauretanam Aedem luculenta extabant monumenta, omnia de allatis Peruſiam fortuitò Reliquijs, tum quæ fuerant aduentum conſecuta miracula, tanquam Peruſinæ cuſtodiæ in poſterum mandarentur, fuſiſſimè expoſuerunt. Dignam videri Auguſtam Vrbem, quæ in pietate excolenda à ſuorum veſtigijs maiorum nunquam receſſiſſet, in qua PRONVBA illa diuini coniugij TESSERA, prohibente nemine, conquieſceret, perennaretque. Coniectura duci, Beatam Virginem,

Peruſini oratores Tibure. Sixti in Lauretanã Virg. pietas.

Quid Legati Peruſini ad Pontificem.

Virgo Lauretana ter in anno mutauit ſedem in Piceno.

Voluit Peruſ. Annulum trãs ferri poſt annos 484.

nem, quæ vno in anno ter mutaſſe ſedem Piceno in agro ferebatur, ANNVLVM quoque ſuum poſt CCCCLXXXIV. annos transferri Peruſiam voluiſſe; eamq; Vrbem, quæ ſibi eximio cultu à ſuæ primordio ſacratioris originis deſeruierit delegiſſe: tantique muneris conceſſam gloriam haud par eſſe deſtitui fama, &, quod ſit grauius, tam nobili Mariæ Xenio ſpoliari. Quocirca ſupplicem Patriã ſanctiſſimis ipſius affundi pedibus, & benigniſſimi Principis clementiam ſtudioſiſſimè rogare; ne, quo ſolo reliquis anteferri Vrbibus in omne æuum poſſet, eo per inuidiam, atque alienam gratiam ſe orbari permitteret.

Sixtus ad legatos Peruſinos.

Legatos Pontifex bono eſſe animo iubet, & quandò Senenſium alijs (nam Cluſini non contenti ſuis, ad Sixtum Senenſes etiam extrudi curauerant) qui adfuturi propediem dicebantur, aures nõ erãt obſtruendæ (ita æquum poſtulare) curaturũ ſe tamen ait, ne addicta Apoſtolicæ Sedi ciuitas fruſtra ſpem in Apoſtolico Hierarcha poſuiſſe videatur.

Sixtus Tibure Romam redit. Senenſium Oratores Romæ.

Commodum è ſeceſſu Tiburtino Romam redeunti Senenſium Oratores occurrere. Hi prius in Vrbe amicos veteres ac patronos orando, pollicendo exambi-

ambierant;præter ceteros Petrum Riarium, & Cosmum Vrsinum Cardinales, qui eam Rempublicam haud ita pridem in clientelam acceperant, quibus aureorum nummũ ad vigintiquinque millia spopondere, si rem Clusinam ita aduersus Perusinos aggrederentur,vt antequàm ad saga vtrinq; properaretur,incolumi pristina amicitia,quod repeterent, regestũ cernerẽt;aut à contumacibus,& fœderum violatoribus, qui detrectandi argutias, & fraudis diuerticula in ipsorum vestigio reperturi sint, extorqueretur.

Petr. Riarius & Car. Vrsin. fauant Senensibus.

His Senenses ad 25. millia aureorum nũmum pollicẽtur si restitui sibi Annulũ curent.

Per hos,certa luce, ad Põtificem admissi sunt, quem proni in omnia obseruantiæ ac precũm studia, sedulò obtestantur,& obsecrant: Ne Rempub. Ruuereiæ beneficentiæ impensissimè obnoxiam, tunc ob ereptum Annulum, Clusinis iampridẽ socijs Deiparæ liberalitate attributum, in mœstitiam incredibilem coniectam, tanta ac tam insigni iniuria ab amicis affectam sineret: aut si candori demum præferre illi præstigias malint; haudquaquam inultam pateretur. Peccasse nimium contra ius fasque fœderatam gentem, cui calamitosissimis temporibus ipsi præsidio planè

Oratores Senẽsium ad Sixtum introducti.

nè fraterno fuerint. Et vt denique aliud esset nihil; pestilentiæ meminisse debuerant, quam decimo septimo eius sæculi anno atrocissimam experti forent. Quo tempore cum funesta grassaretur in omnes lues, & pleræque Vrbis regiones funeribus continenter exhaurirentur; ac firmiores vacuatis ædibus, rus concedere, & salubriora in loca sese abdere cogerentur: missa auxiliariorum manu ad defensanda Perusinorum mœnia, vberi commeatu egentissimam quamque familiam Senenses subleuasse; & opis, quātum potuere, in miseros consternatosque ciues piè ac misericorditer contulisse. Egregiè verò in præsens maiorum benefacta repensari! Præter enim quàm quòd sacrilegum hominem vltrò correptum, obuinctumq; & munitū custodia, si minus ad Clusinū Præsulē & Magistratū postulantem, Senas saltem ad coniunctissimam, socialemque Vrbem, nulla mora interposita, ab ipsis par fuerat remitti: Virgineum certè Annulum, si quis metus & religio, vti æquum videbatur, Perusinorum animos incessisset, per alterum spectatæ fidei atque innocentiæ mystam, vnde alter auexerat, debuisse amandari. Nunquam in re sacra

Perusiæ pestilentia M. CCCC. XVII.

Senenses Perusinis opem ferunt.

cra per iniuriam retinenda, quemquam citra noxam & supplicium perseuerasse. Azotenorum & Acharonitarum doceri exemplo posse, quàm pessimè vtrisque verterit; quod penes se incerta sede, Arcam fœderis consistere aliquantisper passi erant. Huc accedere; quod prædonis sceleratissimi hospitem vocare quomodocumque ad pœnā neglexissent: imò illustri præmio, quo vehementius ad nequitiam ceteri prouocentur, maleficium cumulasse. Itàne de immani flagitio coram summo sacrorum Antistite, triumphare impunè habeat impudentia? quænam deinceps rectè factorum merces alios ad laudabiliter viuendum inuitet? quandò scelus detestabile patranti fœnerat, atque vtiliter à sontibus peccatur. Proindè ne æquissimus Pater, vindex scelerū, rectiq; administer, clarissimam Rempub. in hoc casu, quo afflictissima iaceat, tanta ignominia sinat contabescere. Alienum quod sit, raptores reddant, & in auctorem criminis, qui Clusinas aras, focosque volens, suasuue alterius indignissimè violarit, facta in equuleo quæstione, si dedere nostris abnuant, ipsi seuerissimè animaduertant.

Azoteni & Acharonitæ plagis percussi 1. Reg. c. 5. & 6.

Pon-

Pontifex Senenses audiuit perbenignè: sic tamē vt ne in tali negotio quidpiam vnus statueret, eidem octo præstantissimos, ex amplissimo Cardinaliū Senatu Viros præfecerit. Ex his priscæ nobis tabulæ quinque in primis nominant, Franciscum Picolhomineum Senensem; Marcum Venetum ex vetusta Barborum familia Pauli ij. consanguineum; Stephanum Nardinum Foroliuiensem; Io: Baptistam Cybò Episcopum Melphitanum; & Petrum Ferrici Archipræsulem Tirasonensem: apud quos minimum loci esset gratiæ; nullius inuidia officij fructum temerè præcerperet: vtrinque rationum momenta expenderentur, & disceptatio conditionibus non iniquis componeretur. Quod si Octouiros Principes, è sapientissima purpuratorum corona assumptos iudices, Perusini recusassent: confestim Romam rem ipsam deuehi curarent, cuius caussa è populari iactatione in tam altos discordiarū fluctus dilapsi forent. Verum priori consilio non grauatè acquieuerunt. Sixto interim placere, datisque litteris pro potestate imperare, vt sociatis vtrinque animis pacem colant; videríque prorsus absurdum,

Congregatio 8. Cardinaliū à Pontifice instituitur super Annuli controuersia.

Franciscus Picol. Card. qui Pius iij.

Marcus Barbo Card.

Steph. Nardinus Card.

Io. Bapt. Cybò Card. qui & Innocen 8.

Petrus Ferrici Card.

dum, quòd indè potiſſimum diſſidiorum ſcintillæ proſilirent,ex quo animorum ſuauiſſimo inter ſe nexu coëuntiũ conciliatricula detegeretur Gẽma. Annulus ne fidei & coniugalis beneuolentiæ pignus, quique ferreas & ab omni humanitate auerſas gentes dulci quodam mutui amoris defluuio conglutinet; nunc quaſi Furiarum prolatus manu,ſub rixarum vexillo Chriſtianos cogat populos,& infeſtis obarmatos mentibus, gladiorum ac linguæ mucronibus vellicet atq; transfodiat? niſi ſi quis hoc etiam arbitretur ad ſtultitiam non pertinere; in proſcenio pietatis cum pietatis diſpendio digladiari viciſſim, immaneſque in ſui perniciem excitare tragœdias.

Senenſes & Peruſini Pontificis iuſſu reconciliantur.

Lis hoc quidem primo congredientium impetu, nõ grauatè in fœdus coaleſcere permiſſa eſt: dumque apud Viros Principes, diuini humanique Iuris apprimè peritos,negotium ſuis momentis expenditur, Oratores hilari nuncio quiſque populares afficiunt ſuos; præſertim noſtri, quorum cauſſa potiore loco eſſe exiſtimabatur,cuique citra vllam dignitatis & Virginalis Donarij iacturam feliciter velificabantur.

Riarius & Vrsinus Cardd. Perusiam proficiscuntur.

Atqui Cardinales illi, quos à Senensium Legatis dixeram non leuibus pollicitationibus inescatos, vt suffragij quoque venalis prærogatiua Perusinos obrueret, Perusiam proximo se se vertente anno profecti sunt, Romæ iam à Sixto, qui Magni Anni recursum à quinquagesimo ad quinctum & vigesimum retraxit, sacris de more patefactis in Vaticano Foribus, & plenarijs Maioris Iubilæi Indulgentijs toti Orbi condonatis. Quem Annum non insignem modò fecit Daciæ ac Noruegiæ Regum, & Ferdinandi Neapolitanorum Regis ad Vrbem aduentus; verum etiam Tridenti deprehensa in Simeonem Puerum carnificina, quam Hebræi, totum iterum Schema Dominicæ passionis repræsentaturi, horrificis expeditis armis, meditati fuerant. Quem Martyrem iam olim Tridentini colunt, & nos à superiore ineunte sæculo, in Diuæ Mariæ Angelorum, extra Romanam Portam, Sacello excitato, aris & sacris veneramur.

Iubilæum ad xxv. annum Sixtus reuocauit.

Tridenti S. Simeonis Pueri martyrium.

Igitur honorificè purpurati excepti Hospites; & ludis, quos expiatrix intercurrentis anni religio non auersaretur, festiuissimè exhilarati Qui per speciem

ciem aulicæ comitatis, Magnates blandè illectos promissis sollicitare aggressi sunt, Pontificiòque nomine adurgere; vt tempore vsque adeò lustrali, quod probè scirent tot retrò sæculis Clusinorum ditioni fuisse subiectum, restituerent vltrò, simulque à generosis animis prædatorij notam ambitus dispunctum irent. Hoc priuatim primum; palam deinde Senatu coacto, acerrimèq; differere, hortari, suadere; postremò etiam interminari, ac belli aspera proponere. Cardinales duo Perusinos ad reddendũ Annulũ hortantur.

Hic verò incredibiliter à Perusinis tumultuatum est, varijsque rumoribus criminationum tela in suasores subfrigidos coniecta sunt. Eo seditionis flabello perturbata & soluta concione, Fœciales pudefacti recessere. Ac Riarius non multò post, Diuis quoque procurationem ad quæstum & nundinationem traductam non ferentibus, in flore ætatis & fortunarum, annos natus duo detriginta, præpropera morte extinctus est. Card. Riarius moritur ætatis an. xxviij. Alterius autem superstitis (quamquam haud adeò in longum) nostri auctoritate deterriti, ac vulgata fama, Senensium facem in nouos contumeliarum & odiorum æstus illabi, at-

F 2 que

Perusini muniunt se contra Senenses & Clusinos. Turris ad Clanim co[illegible] altera n. Senēsium.

que adhærescere; contrahere auxilia cœperunt, & propiora hostibus municipia præmunire.

Turrim in primis, Clanis iniectam littori, è regione Senensis cuiusdam exædificarunt, quam hostili opponerent, nomine vtcumque ad proterui am ruditer indicandam excogitato: nam alius aliam sibi vindicare non sine ludibrio inuitabatur. Ad hæc Castroplebium firmiore præsidio obuallatum, quod quidem Oppidum quinquagesimo septimo antè anno in potestatem venerat Perusinorum: quinquennio post à Martino V. ob curatam felicissimè Republicam Brachio Fortebrachio fruendum datum: Clemens Octauus in huius sæculi exitu, quod se iam conuoluit, Vrbis titulo cohonestauit, eique Fabricium Paulucium primum Episcopum Plebanum præesse iussit.

Castroplebiū Oppid. Perusinorū, anno 1416. à Martino V. donatum Brachio, à Clemente viij. Vrbis titulo insignitum.

Nec fefellerat exploratores Augustos; quo præsidij minus in caussa atque in Riario, quem à se se abalienatum intellexerant, habuissent Aduersarij; eò maiores excursiones in Perusinum ipsos facturos agrum; & malè sartam gratiam acriore pugnæ incendio exusturos. Vbi gregariorum alam mili-

tum

tum conscripsere nostri, ad Comitem Carolum Brachij filium nuncium miserunt; vt Patriam tueretur ipse: decretaque in posterum, si gladiorum arbitrio disceptare necesse habeant, Legationes ad Mantuæ Marchionem, atq; Vrbini Comitem. Petrus Paulus Ranerius I.V.C. iubetur adire Venetos, indè ab anno MCCCLXVII. Perusinæ Ciuitatis donatos iure, ex quo afflictam Vrbem, difficillimo eius tempore, pecuniario subsidio liberalissimè iuuerunt. ad Florentinos Trincius Coppolus; ad Mediolani Ducem Matthæus Franciscus Montesperellus; ad Neapolitanorum Regem Marianus Baleonus destinatur.

Perusini ad Carolum Brachij filium, & ad alios Italiæ Principes legantur.

Petrus Paulus Ranerius. Veneti Perusinæ Vrbis donati Iure anno 1367.

Trincius Coppolus. Matthæus Franciscus Montesperellus. Marianus Baleonus.

Mensibus nonnullis interiectis, velitatiunculæ in Clusinum agrum à Perusinis fieri cœptæ; quandò Clusini à nostro minus abstinuerant, & gregibus insidias subindè moliebantur. Imò agrestium quotcumque obuios habuissent, iisdem inijciebant manus, præque se captiuos actos, obscuro carceri mancipabant. Longè verò plura ab hostibus in nostros manabant damna; quàm vt facilè retorqueri in auctores possent: cum non perindè Senensium cam-

peſtria vectigalia Peruſinis finibus circumſcriberentur. Cluſinus duntaxat Epiſcopus in Pacianenſi agro prædiorum quorundam reditibus abundabat, quos vtcumque plebecula, palanteſque milites occupabant, principiò contenti paruo, prohibiti à Ducibus, ne latius uagarentur: vſque dum malis irritati grauioribus, tantò efferatius ſemet vlciſci coacti ſunt; quanto impudentius à Cluſinis, & Senenſibus fuerant laceſſiti.

Carolus Fortebrachius Senenſes bello vexat.

Et quidem maiores ſumere ſpiritus licuiſſet noſtris, quibus in dies potentiorum gratia effuſius blandiebatur: cum præſertim Carolus Fortebrachius Senenſium plagam non vna peditum, equitumque manu occupaſſet. Relictis enim Venetis, propterea in Etruſcos ſe contulerat, quòd ſperaret, Peruſinos paternæ virtutis impulſos fama in ſui obſequium ruituros, & in ſuam poteſtatem Vrbis mœnia dedituros; ſed diffiſus viribus, quòd videret pro ſeruanda libertate ipſos omne vitæ diſcrimen ſubituros, ſe ad Senenſes conuerterat oppugnandos, cauſſatus permulta viuo etiamtum patri militiæ ſtipendia haud dum ab ipſis perſoluta. Atque hoc ſanè

nè præter Perusinorum votum. Qui in propulsanda iniuria modestia vsi sunt magistra, deque aliena proteruia, inhibitis continentiæ fræno suis, patientia magis, quàm ferocia triumpharunt.

Fortè per id tempus Catharina Galeacij Insubriæ Ducis filia, Hieronymi Riarij vxor, per agrum Perusinum iter faciens, non longè à Trusiamno ad læuam Tiberis, ad nobile municipium, in colle paullò editiore situm, diuerterat, Derutam vocitãt; vbi Figlinas omnium præstãtissimas vel Chorœbus Atheniẽsis auctor citra liuorem dilaudarit. Hic prompta hospitio domus tam splẽdida & elegans, quàm temporaria supellex largissimè oblata, missique obuiam, qui tantæ felicitatis incapax oppidum excusarent; quiq; Heroinæ animum ita flexere, vt precantes admitteret, & magnanimi oris modestia hospitales lares non abnueret. Huic à XViris argentea aliquot Vasa cælaturæ non vulgaris, quæ obsequij, ac clientelæ fidem facerent, dono data: gratiæ insuper actæ, quòd Sixti IV. clarorumq; Italiæ Principũ iuncta sanguini, Vrbis Ruuereio nomini deuinctissimæ fines sua præsentia illustrarit. Romam pete-

Catharina Ducis mediolanen filia vxor Hieron. Riarij Comitis.

Derutæ excipitur.

Chorœbus Figlinarum inuentor.

ret felicibus auſpicijs, atque Auguſtam Rempubl. ſe ipſi mancipio dantem apud Sanctiſſimum Orbis Hierarcham, in Annularijs rerum articulis, fouere aduerſus Senenſes non deſiſteret.

Hieronymus Baſſus Epiſ.

Peruſiam quoque acceſſit Hieronymus Baſſus à Ruuere de Albizola Ligur Sixti ex ſorore nepos, Antiſtes Recinetenſis, & fauſta populi acclamatione, velut de eminentiore faſtigio aliquid præſagientis, in Magiſtratus contubernium receptus eſt. Ac ne honores non habiti magnificentius putarentur, ſericata aulæa è conclauibus deprompta, precioſiſſimæ explicatæ veſtes, gemmæ & toreumata in promptuariũ producta. Haud fuit irritum alicuius Inaugurationis votum. Feſtinant ab Vrbe nuncij, & Hieronymum IV. Id. Decembris in Cardinalium numerum cooptatum narrant. Qui exindè memor, ſe tam ſplendidè in Peruſino receſſu autoratum, quæ gratiſſimi Principis comitas & beneficentia fuit, Peruſinorum rebus impẽdiò ſuffragari inſtituit. Ad hæc præcipuum eorum erga gentiles Pontificios ſtudium vtique eluxit, cum Florentiæ Pactianæ coniurationis furor in vnius Iuliani cædem erupit, in-

Peruſiæ creatur Card. 1477

Coniuratio Pactiana 1478. Iuliani Medicei cædes. Laurentius Medices.

colu-

columi seruato Laurentio,ac Raphaël Riarius,cõiuratis captis,ab armatis custodibus ad Vrbẽ redire vetabatur. Nostri.n.Florẽtinæ Reip.& Laurẽtio arctè fœderati Legatos illicò misere, qui & Mediceæ familiæ sospitatem gratularentur, & Riario libertatẽ exorarent. Quẽ mox Laurentius Sixto redonauit; tametsi hunc dignitatis sacrosanctæ vindicem, indicto, præter Vrbinatium ac Brutiorum arma, atroci bello, expertus est. Quamobrem Comes Hieronymus in vniuersum militari prouinciæ à Pontifice præfectus, in Oppido Sigillensi substitit, à Perusinis officiosissimè inuitatus, qui & Perusiam nobili pompa ac magno comitatu deductus est. Quanquam belli consilia discussit Hydruntina Ciuitas à Turcis, qui Italiæ ceruicibus, ni Mahomètes vita decessisset, imminere credebantur, deuastata: eaque res Alphonsum Calabriæ Ducem à Senensibus abduxit, qui horum controuersias (arbiter fuerat delectus) eorundem pecunijs & proscriptionibus, ceu Phalarismo in ipsos vteretur, decidebat.

Raphaël Riarius Card.

Legati Perusinorum ad Florentinos, pro Riario deprecantur.

Comes Hieronymus Pontificijs copijs præfectus.

in Oppid. Sigillen. à Perusinis recipitur.

Hydruntum Turcæ occupant.

Cum autem Senenses tot molestijs diuexati, vtpote quorum libertas in

aper-

aperto fuerat discrimine, in repetendo Annulo non modicè intepuissent; quis enim in eo æterni Numinis arcanum consilium non liquidò agnoscat, quo permittēte, tot tantæq; Perusinæ felicitatis inuasores circumuallarint clades? non deerant alij Romæ, qui inuidiæ veneno afflati, maloque extabescentes, Perusinos frui diutius collato cælitus charismate, iniquissimo animo paterētur: quin Sixto persuaserant, quod se facturum antea comminatus erat, vt demum Romam illud deferri iuberet, quod augustius atque honorificentius in aliquo sacratissimæ Vrbis Tēplo, quā in eo Etruriæ tractu, minus sæpè exterorum vestigijs incalescere solito, seruari posset: præferretque omninò salebrosis collibus, quam nuper MARIAE Virgini Flumentanæ ad læuam Tiberis instaurasset Aedem: aut quam ad Circum Flaminium extruxisset, & in alterutra Virginis eiusdem dotalem Arrham multò æquius collocaret. Nec omitteret perbonam occasionem sui Pontificatus, allato in Vrbem Mariæ ANNVLO, illustrandi, quod Pius II. paucis ante annis fecerat, Apostoli Andreæ Capite ex Peloponneso Romam aducto.

Pontifex iubet Annulum afferri Romā.

S. Maria de Populo à Sixto instaurata. S. Maria de Pace à Sixto ædificata.

Pius ij.

cto. Itaque Sixtus haſce ad Peruſinum Magiſtratum litteras, à Io. Bapt. Cardinale Sabello, tunc Peruſiæ Vmbriæq; Legationem obeunte, reddendas, miſit. Io. Bap. Sabellus Card. Legat. Peruſ.

SIXTVS PAPA IIII.

Dilectis Filiis Prioribus Artium & Communi Ciuitatis noſtræ Peruſiæ.

Dilecti Filij ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Per alias noſtras litteras vos hortati ſumus, vt diſcordias veſtras cum Senenſibus occaſione ANNVLI, terminare, & concordiam aliquam, ſicuti decet, & ſalutare vobis eſt, inire velletis. Quæ vt iuxta deſiderium noſtrum facilius ſubſequi poſſit, hortamur vos iterum, & requirimus attentè, vt huiuſmodi ANNVLVM dilecto filio noſtro Io. Baptiſtæ de Sabellis Diacono Cardinali Legato tradere velitis, qui illum nobis tranſmittat. Sixti litteræ ad Peruſinos

mittat. Promittentes vobis, dictum ANNVLVM in aliqua venerabili Almæ Vrbis Basilica collocare, & ALIAS SACRAS RELIQVIAS in recompensam vobis tradere, vt meritò contentare possitis. prout latius ex Legato ipso intelligetis, qui mentē nostrā circa hoc latius explicabit. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, Die xviij. Decembris MCCCCLXXX. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Summi Pontificis de Annulo iudicium. Sanctorū Reliquiæ Annulo collatæ.

L. Grifus.

Perlectis litteris Sabellus, qua erat modestia & dexteritate, vi ac minis obuelatis, hortationes, consilia & stimulos ad Perusinos permouendos satis ex arte adhibere cœpit: posse tum certè ipsos egregia demerēdi Pōtificis opportunitate vti, quā si prætermitterēt, nullum posthac grauius piaculum incursuros esse, quàm benignissimi Patris iussa detrectasse, & voto tam officioso minus paruisse. Vidēdū etiam atque etiam,

ne

ne irati vultum intueri malint, quem precantem propemodum animaduerterent, cuiusque nutibus ac desiderio ire vltrò obuiam exporrecta fronte ac protensis vlnis debuissent. Profectò haud leuem gloriam ad Perusinos rediturã; quòd sacrum depositum septimũ iã annũ custodierint. Quocirca memoria repeterent, quanto honore Pius ij. Narnienses cumulasset, quos menses aliquot sacrosanctum Andreæ Apostoli verticem, Ancona delatum, seruare in Arce voluisset: quem, vbi res bellicæ Pontifici secundiores adfuere, in Vrbem importari iussum, in Basilica Vaticana percolimus. Porrò nè inferiore comitatu, minúsue celebri commendatione illuc Deiparæ ANNVLVS adueheretur: semet debito cum apparatu & reuerentia deducturum recipit; idque exemplo Alexandri Oliuæ à Saxoferrato Cardinalis S. Susannæ, quem Pius de latere Legatum Anconam eo nomine proficisci imperauerat. Quia verò Alexander apud Sentinates suos biduum S. Apostoli Caput iusserat intersistere: ijdem tantæ rei memores, annuis statis cæremonijs, in eadem, qua stetit, Ara festo Andreæ die operantur, planè

Narnienses D. Andreæ Caput menses aliquot seruauerunt.

Romæ in Basilica Vaticana colitur.

Alexander Oliua Card. à Saxoferrato.

Apud Sentinates memoria S. Andreæ singularis.

planè iucundiorem habituri beneficij recordationem; si non biduum, sed mensem, aut annum, cum Perusini totos septem gloriarentur suo, frui precioso pignore potuissent.

Perusinorum muta querela quæ & contumaci responsione melior.

Atque hic Patres, & aduocata in Comitium concio, cum Legatus loqui desijsset, non iam verbis vtendum rati, neque lacrymis, neque vociferationibus, quibus sua studia multitudo profitetur, temperarunt, sed supplices ad terram deiecti, manus tendere, fletu ac dolore conuelli; torquere se se, pectus tundere, interruptis singultu vocibus vix posse moderari. Humanissimum Principem orare, obsecrare, obtestari; SIXTI nomen sanctissimum, Patris pium ac fauens implorare; se se modis omnibus, dextera iacturam indicantes, Annularis ornatum digiti significantes manu, infelices, & miseros appellare. Cui tam feralis facies, & ex abdito lamenta, adeò & ex vero petita, aliquem misericordiæ sensum non inurant? quem non expugnent lacrymæ valido quouis ariete fortiores? Hæ scilicet, quas oculi miserorũ celeriter profuderant, infimis adiũctas precibus, coram Principe placabilitate & clementia

orna-

ornatissimo, mutuò se perditos ac proditos clamitantium, mite Sabelli ingenium peruasere; leniter eblanditæ gratiam, clientelam sagaciter expiscatæ: sic vt mutata continuò voluntate, dedisceret Legatum, seque mœstissimæ Vrbis, cuius futuram orbitatem animo metiebatur, patronum fore apud sapientissimum Pontificem polliceretur, cuius tantam in animi magnitudine residere lenitatem nouerat, nihil vt illo humanius, nihil clementius fingi posset.

Card. Sabellus Perusini fauet.

Quarè Perusinorum caussam, scriptis ad eundem supplicibus litteris, confestim gratiosus egit: Paratos quidem omnes pro perpetua in ipsum veneratione atque obsequendi studio, à præscripto Pontificio hilum non recedere. Nihil Augustis mentibus propter ingenitam nobilitatem flexibilius; nihil propter debitam summo Principi obedientiam paratius ad obtemperandum. Sed enim ad preciosi Pignoris imminentem iacturam tam dolenter, tamque immaniter ingemuisse, quàm si Vrbis muris, quasi procella ingruens, superuenisset hostis, & tortis circum brachia vestibus, strictisue mucronibus

Pōtifici pro Perusinis scribit.

nibus consternatorum ora ciuium, vultusque improuisò petijsset. Quæuis capitis & fortunarum naufragia leuiora reputari. Voces querulas & suspiriorum plenas sacrorum custodiæ ab illis laudabiliter fuisse impensas: cumque in Clusinorum & Senensium amicitia parum piæ postulationi ex indigenarum voto locus detur, religionem horum & fidem alienæ amicitiæ videri anteponendam. Crescere autem eò prolixius in Deiparæ ANNVLVM Perusinorum cultum; quò ab ipso sacrarum Reliquiarum Promò condó ad amplissimæ ornamentum Vrbis efficacius requiratur. Nolit verò Pastor amabilissimus plenum luctus ac mœroris gregem, quem inopinata felicitas ditauerit, Virginali Anathemate carere, & subiectæ gentis parendi ardor, deuotionis affectu erga Beatissimum Patrem exuberans, de vberrimo Ruuereiæ misericordiæ fonte aliquem, suo rogatu, beneficentiæ riuulum reportet. Nam cur pro crediti incolumitate Donarij MARIAE Virginis rursū hastā vibrātis simulacrum expectet? quod in tuenda nuper Rhodo obseruatum memoratur.

Miraculum in Rhodo tuenda 1479.

Huius argumenti epistolam, aliamque

aliamque demissiore & obsequentiore Decemuirum chirographo Romam missā, Hieronymi Riarij grauissima oratio mirum in modum confirmauit; qui commodum ad Vrbem à Pontifice reuocatus, & lugubri ac funesto Magistratus Libello præmonitus, ringentibus inuidiæ mancipijs, Antistitem Maximum de sententia facilè deduxit. Qui si paullò commotior in homines nimium pietati obnoxios fuisset, Comitis officioso erga Perusinos suffragio delenitus, religiosissimæ gentis curam exaggerantis, pacatior, benigniorque culpæ ignouisset.

Comes Hieronymus Perusinorum caussam apud Pont. agit.

Iam quemadmodum ob Etruriæ tumultuantis dissidia, Senensiū ac Perusinorum odia plusculum recrudescentia, Sixto iterum iubente, consenuisse videbantur: sic, datis inter se nuperis vadibus, omnium animi multò ardentius ad pacem coaluerunt. Nam cum inter Florentinos & Senenses malè dudum sarta, bona denuò fide coisset gratia, &, trāquilliore Genio dimicationibus mutuis receptui canente, publicè priuatimque simultatum fibræ exaruissent; eius fœderis Perusini à Senensibus per certos homines fuerunt admoniti; quos

Fœdus iterū inter Perusinos & Senenses.

De Florentino Fœdere Perusini à Senensibus certiores fiunt.

illi donis, Senenses litteris effusè gratulantibus statim prosecuti sunt. Remissi insuper, qui coram amicissimæ salutationis obirent munus; quæque obtigerat concordia, eandem ipsis solidæ & perpetuæ voluptatis, socijs auspicatissimi ominis altricem fore testarentur. De ANNVLO silentium indictum: in omnia quidem pacificationis argumenta excubarent, curarentque clam sedulò, quantum possent, vt in plenum recolligeretur beneuolentia, & ad eliciendum populi amorem, liberales manus cum officiosa verborum magnanimitate miscerent: Clusinæ flagitationis vocabula, tanquam scopulos inimicitiarum prætergrederentur; à qua fortassis tot alienis concussi arietibus, & domesticis iactati procellis mentē iurè abalienauerant: cū conduc[illegible] bilius esset in eo videri elingues, [illegible] id, quod nemo probet, [illegible] pitos in propriam p[illegible] tet, interfari.

Thomas Angelus Oliuetanus ad Marcum Barbum Cardinalem obijt 1491.

Alio etiam offi[illegible] iussu, Thomas [illegible] familia, eloque[illegible] rens laude, pe[illegible] que ad Mar[illegible]

Aquileienſem Card.apud Cluſinos Fontes (nunc Sancaſſianenſes vocant) valetudinis gratia diuerſantem: qui pro vetere neceſſitudine, delatoque ipſis iampridem, quos fouendos ſuſceperat, amantiſſimi Patris patrocinio, Cluſiſinorum parum amicas voluntates ſua auctoritate mitigaret, atque ad eam demum eliminandam diſcordiam, quæ ternas Vrbes immaniſſimè perturbarat, animum appelleret; datiſque propterea ad Pontificem & ad Senenſes litteris, ſectam clientibus Peruſinam nobilitatem emeret, quæ omnem vitæ iucunditatem ipſi relatura eſſet acceptã. Nihil tam populare eſſe, quàm pacem, & intra Gratiarum legem caſtigatæ licentiæ mercimonium, quo æquè illi, qui bus à natur[illegible] ſt ſenſus, ac tecta, agrique r[illegible] aſtitatibus ante[illegible] procaciter [illegible] plurimum exh[illegible] larari vid[illegible]

[illegible]m [illegible] um ad mu[illegible]
[illegible] dioſiſſimè
[illegible] reſilient[illegible]
[illegible] lem: Si[illegible]
[illegible] ecimo,[illegible]
[illegible] oſitis,[illegible]
[illegible] ta Cy[illegible]

Fontes Cluſini, nunc Balnea S.Caſſiani

[S]ixtus IV. moritur 1484.

Innocentius viij. Pontifex creatur.

Innocentij Octaui assumpto nomine, sufficitur: ad quem, quemadmodum Regum, Principum, Rerumque publicarum per eius primordia delatæ dignitatis mos est, sic Perusina Ciuitas Vidonem Baleonem Oratorem misit, qui fidem, venerationem, obedientiam suorum primum vice popularium præstaret; deinde ad Senense fœdus curas omnes, cogitationesque conuerteret. Senas quoque Stephanum Guarnerium amandauit; vt, quibus Romæ Vido incaluisset concordiæ prensationibus, earundem identidem submonitus, suas & ipse turres vineasque, quod dicitur, ad expugnandos finitimorum animos, admoueret. Neque hoc iam præter modum. Zelotypia enim mirifica tenebatur; & feruidi amoris, quo erga Deiparæ ANNVLVM æstuabat, hic erat afflatus. Vsque adeò illud Gregorij Nazianzeni dictum cum ratione congruere putandum est: Animi acrimoniam, vbi ad pietatem accesserit, Zelum parere, Zelum fidei præsidium esse.

Vido Baleonus ad Innocentium viij.

Stephanus Guarnerius.

S. Greg. Nazianz. orat. 23.

Ac Guarnerius dum laborat maximè, vt nubeculas odiorum reliquas, conciliatæ inter se Vrbes amoliantur, quæque multa populationibus mutuis perierant

ierant, vtrinque amicè rependantur: probare hoc Senenses; Clusini depositi conclamatam memoriam haud quaquã velle. Plus satis illo per otium Perusinos potitos; cum externarum ipsi, ciuiliumque turbarum fluctibus pænè obruti, rem tandiu quodammodo neglectui habuerint; de qua recuperanda, Republica vel euersa, cõflictari cum ingenijs tam alieni appetentibus debuissent. Conatus verò pios hactenus Senensibus improsperè cessisse; qui ijs in armis, quæ aliò pro firmanda Vrbis securitate obuerterant, præsidij parum inuenissent, in Riarijs Fratribus, atque in delectis Cardinalibus prope nihil. Animos tandem à metu ad spem certã, qua, Sixto superstite, euanuerat, reuocari: ex quo Innocẽtius, cui rationes & vota prius probassent sua, æquitati Signũ sustulisset. Qui dũ anxiè Genuenses suos ambit, vt Sergianam Florentinis restituant, dictitat que: Vrbem vi captam, à Diuo Georgio Genuensium patrono, religione salua, retineri non posse; de Annulo Clusinis erepto idem æquissimum Pontificem videri pronunciaturum: à cuius possessione, quam sibi haud dum asserere nequiuerint, nullo pacto se se in posterum arcendos. Quod

Senensium turbæ iterum propter Annulum.

Sergiana à Genuensibus restituend. Florentinis. Innoc. viij. dictum.

ſi controuerſiarum ius denique tollendarum, ne non Etruſcorum fœderum cultores omni tempore habeantur, alicuius arbitrio adiudicare placeat: paternæ Innocentij voluntati, & Franciſco Piccolhomineo Cardinali ſe liberè permiſſuros. Quidquid autem calculis vtrinque collatis ſtatuiſſent ambo, id ſe fide optima, firmato præiudicio, ratum, fixum, firmum ſimpliciter habituros.

De Annulo controuerſia Innoc. Pont. & Card. Piccolhominei arbitrio permittitur.

Peruſini, etſi Piccolhominei auctoritatem, in quo nimirum Patriæ caritas valdè exarſura credebatur, iurè ſibi metuendam affirmarent: Pontificis tamen benignitate freti, qui nobiliſſimæ ſubiectæ Vrbis iacturam minus facilè, vt putabant, toleraſſet; ſimul quia Cardinalis Recinetenſis, Ruuereiorum ac Florentinorum ſuffragijs plurimum fiderent: rem Innocentij & Piccolhominei iudicio non grauatè permittunt: conſcriptiſque ex Senatuſconſulto litteris, Antonius Acerbus Romam aduolat, qui Baleono iunctus, cum Senenſium Legatis negotium tranſigat; nèue amabiles patronos, fœderatoſque non fatiget precibus, quò Peruſinorum votum tueri ac prouehere illi pugna-

Antonius Acerbus Romam mittitur.

gnaciſſimè contendant.

Pontificis animus nunquam æquè in noſtros beneuolus ac fauens, ſiue continere ſuauiter in officio Peruſinos operæ pretium duceret; apud quos factiones tunc gliſcentes elidere (finitimarum Ciuitatum Regulis ſe tyrannicè efferentibus) haud adeò in procliui erat; & vt ſacra ſaltem in re tumultuantibus ciuibus gratificaretur, quos publicorum munerum adminiſtrationibus, quibus Baleonum cumprimis potentia nitebatur, pœnè in totum priuauerat (quæ enim centum & viginti fuerant, ad quatuordecim deficere Innocentius imperauerat) ſiue ſuopte in Virginem ingenio pronus, quam in Aede Lauretana bulla cum gentilitijs inſignibus aurea, pontificali amiculo ex holoſerico villoſo, & peripetaſmatibus Innocentio dignis, largè donauerat: eò non inuitus conſilium flexit, quo Deipara VIRGO potiorem mundi ſui partem, poſt diuturnam apud Cluſinos commorationem, transferri voluerat.

Qualis Peruſiæ ſtatus per initia Pontificatus Innoc.

Innocentij dona ad Diuam Lauretanam.

Piccolhomineus diuino, vti remur, monitu, & occulta ſpiritus operatione adductus, propenſæ erga noſtros Innocentij volũtati minimè refragari eſt auſus

ſus: cum interea Florentinis ex fœdere, pró Peruſinis vehementer deprecantibus, denegare ſuffragium non liceret.

Fortaſsè & nonnulla eius temporis recordatio humaniſſimi Principis memoriam refricuit, hinc & ad gratificandum procliuior factus; cum nempè in Peruſino Gymnaſio Cæſarei & Pontificij iuris candidatus, à Pio II. Auunculo in ampliſſimum S.R.E. Cardinalium ordinem cooptatus eſt.

Franciſcus Piccolhom. Senen. Peruſiæ creatus Card.

Igitur vterque, quod ab octo purpuratis Patribus, tot interea elapſis annis, ob Etruriæ fluctuantis domeſticas, & concuſſæ in vniuerſum Chriſtianæ Reipubl. ſuper-incidentes clades, confici non potuit, ſollenni concepta formula, tabellaria ſententia, ſumma omnium conſenſione decidit, & PRONVBVM DEIPARAE ANNVLVM, iudicio vſus, PERVSINAE Vrbi adiudicauit: arbitrio autem reſarciēda damna pronunciauit; ac ciuibus, qui gregalium aut frumentariorum prouentuum naufragium fecerant, quoſdam Cluſini agri pagos, vſque dum expenſi, acceptique tabulæ conuenirent, vectigales attribuit. Cuius rei vbi primum Peruſiæ fama percrebuit, cœpere indigenæ

Annulus Peruſiæ ab Innocen. viij & Card. Senen. adiudicatur. M. CCCC. LXXXVI.

genæ

genæ conuenæque subita lætitia priuatim ac publicè perfundi; Oratores reduces tripudijs & acclamationibus excipere; &, quo indicio, cum quidpiam prosperè successit, vti consueuimus, flammas passim in foro, in vijs, turribus, mœnibus, in palatio excitare; Lychneones per domos singulas disponere, & luminibus noctem, ceu mos Lucernarum Aegyptiacarum, infringere, se seque mutuò, gaudij temulentia gestientes, suauissimè complecti. Actæ exindè Superis ingentes gratiæ, quorum auspicijs res benè, feliciterque ver tisset.

Libet verò hoc loco vehementer Patriæ meæ gratulari non liberalitatem MARIAE solum, atque amoris argumentum, quæ, donato ANNVLO, ipsam sibi, quasi vinculo colligasse visa est (nam donari Annulo à Rege, contractæ amicitiæ augumentum antiquitus fuit) verum etiam contumacis consilij auspicatissimum successum; quæ fortunam planè secundissimam experta, aduersantium vota hominum secura eluserit, & sua incuriosius seruantes in eas angustias ac ludibria coniecerit, quæ septimo & vigesimo post anno Moguntiam

Donari Annulo à Rege, amicitiæ signum.

tiam

tiam iactura quàm simillima onerauit.

De Capite S. Annæ anno 1500. furto sublato.

Erat huic inter tutelares Diuas ac patronas & D. ANNA, eiusque Caput in D. Stephani prece & cereis sanctissimè excolebat. Ad quod templũ reconcinnandũ cũ Fabri murarij & Lapidarij aliqnot cõducti essent; quidã ex his, aui ditate & studio tam insigni pignore ditãdi Patriã, ad VI. Idus Decẽbris Anni

Marcodurum

M D. illud furto subreptum Marcodurum quàm occultissimè asportauit. Continuò à Moguntinis atrox & periculosum exortum est bellum. Inimicitias autem totum septennium inter vtramque gentem exardescentes, Iulius secun dus pro potestate compressit: cuius decreto haud dubio Dei nutu à Mogũ tinis abductum existimantis, diuinum Caput Duræ, inclusum auro, perseuerat, & quotannis sedula confluentium hominum veneratione, hæreticis frustra circumfrementibus, aditur. Idem anno quadragesimo tertio supra sesquimillesimum, Dura à Carolo V. subacta, & in cendio, casu nescio quo, conflagrante, pij Imperatoris cura in Franciscanorũ Aedem ab Hispanis militibus illatũ est.

Iulius ij. 1507 contra Moguntinos pronunciauit.

1543 Caput S. Annæ ab incendio ereptum à Carolo V.

Iam vt cæleste consilium in B. Virginis ANNVLO, atque Annæ Parentis

tis

tis Vertice, prædatoria, vt sic dicam, pietatis manu aliò comportatis, non sine admiratione pariter ac voluptate, habitis Deo gratijs, gaudio ebrij contemplamur: ita in sacro Lapide è Lauretana Domo, inuita Deipara submoto, furtimque ablato, quamuis Pius Quartus Pont. annuisset, æquè religiosè veneramur. Ille enim theca argentea reconditus, Ioannis Conimbricensis Episcopi immodicam pietatem castigauit, qui se sacrilegij reum haud prius absoluit, quàm rem impetratam, ornatissimo impositam ferculo cum epistola ad Laureti Præsidem, restitui curauit.

Lapis Lauretanæ domui ablatus restituitur

MDLXII.

Ceterum quo perennaturi apud Perusinos ANNVLI cultus longè latèque in dies amplificaretur: ab Aedicula Palatina digniorem, celebrationemque in locum Patres transferendum censuere, idque non tam spontè, quàm hortatu Beati Bernardini à Montefeltrio Minoridæ Franciscani, qui exquisita maiorum artium cognitione ac sanctimonia pollēs, mirus Hieronymi atque Augustini discipulus audiebat; entheoque afflatus spiritu complura vaticinabatur, fuereque in his bella

B. Bernardinus à Montefeltrio.

bella (Cometis enim duobus sub initum Sixti IV. Pontificatum conspectis, abundè fidem fecerant consecuta) quæ postea vniuersam Italiam funestissimè deuastarunt. Is Ecclesiastes ea tempestate laudatissimus, Perusiæ inter concionandum, Pronubi Annuli dignitatem, excellentiamque lectissimis ornabat sententijs, orationeque viuida, & liberalibus præconijs ad Cælum efferebat; simul sublapsam non nihil retrò obseruantiam (vt prona in deterius humanitas mitibus decretis semper indulget sibi) multò flagrantius reuocandam prædicabat, cuius dicto sapientissimus Magistratus extemplò audiens fuit. Quarè ornatissimum Sacellum in Basilica Sancti Laurentij, quà muro picturato ac cælatis asseribus conclusum, quà ferreis pilis & cratibus, magnificentissimo sumptu extruendum curauit. In summo huius hastati propugnaculi, ducta circum fascia, hi descripti extant versus.

Cometæ duo 1471.

HIC SOCIATA SVO COLITVR REGINA MARITO, ET FACILI IVSTAS ACCIPIT AVRE PRECES.
M. D. XI.

HAC

HAC SACER INTACTAE MATRIS IACET ANNVLVS AEDE, QVI DEDIT, EST CVSTOS MVNERIS ILLE SVI.

Nam quandò inter sacras ferias à Sixto institutas, festi etiam Iosepho ac Mariæ dicati numerabantur dies, Tabula egregij operis à Petro Perusino, Pictore eius ætatis celeberrimo, confici iussa est: in qua suauissima colorum temperatione, & elegantissimo artificio Hierosolymitanum Templum repræsentatur, ex quo videlicet nubilis iam prodijsset Virgo: non, vt quidam, nullo opinor auctore, disseminarunt, quia ibidem Annulus, ceu communis quæpiam Nuptiarum celebrandarum tessera asseruaretur. In huius delubri subdiali area hinc Puellarum chorus appictus, indè Iuuenum, sublatis arentibus Virgis modestè indignantium, etsi quidam ira paullò commotior suã curuus in genu frangit, cum illa Iosephi effloruisset. Atque hunc subarrhare ANNVLO MARIAE digitum parantem Antistes summus, apprehensa amborum dextera, suis & ipse Manibus sacramenti maiestate ac religione communit.

Festi dies SS. Iosephi & Mariæ à Sixto instituti. Petri Perusini Pictoris Tabula in D. Laurentij.

munit. Simillima & maximè gemina Raphaelis Vrbinatis pictura est, Annulumque lapideum ad viuum exprimit, quam Typherni in D. Francisci Fano superiore æstate salutauimus.

Raphaelis Vrbinatis alia Typherni.

Instituta insuper S. Iosephi nuncupatione sæcularium hominum Societas, quæ vna cum Laurentiano Clericatu perpetuum famulatum Annulari Sacello exhiberet; sanctissimo item Patri ad Aræ dexteram dedicata Statua, quæ die Martij vndeuigesima, celebri annua supplicatione, in forum producatur.

Sodalitas S. Iosephi.

Igitur incohata pompa, è Larario Decemuirali, deferente Episcopo Thecam auream, pendente ab aurea catenula ANNVLO spectabilem, agminibus linteatis deducentibus, multis passim dispositis odoramentis; symphoniarum, tympanorum, tibiarumque circumstrepente suauiter sono; displosis festiuè fistulis ac tormentis, Troilo Baleono primariæ Ecclesiæ Archipresbytero, Symmystisque ceteris (Rodulpho Signorello XVirum primo rem in tabulas referri imperante) Pronubus Deiparæ ANNVLVS, tanquam custodibus concreditus est.

ANNVLVS ex XVirali Sacello ad D. Laurentij

Troilus Baleonus.

Rodulphus Signorellus.

Tum Arca magnis vectibus in subli-

me

me euehitur, quæ clauſtro munita, & multiplicibus Clauibus obſerata, in perfoſſo extructi Sacelli pariete, veluti ſanctiore quodam aerario, oblitefceret. Præterea ad augendum, quoties populo ſpectanda obijceretur Hierotheca, venerationis cultum atque ſollennia, ſatis ex arte excogitatum eſt, vt Columellæ binæ ex Altari conſurgerent, quæ Odeum magnitudine ſuperarent. Depromptam verò Aediculam, penſili Cimelio prædiuitem, Annulares adminiſtri, hoc eſt, Angeli dextra, læuaque accenſos cereos geſtantes, euolutis ſenſim funibus, demitterent, Aræque picturatis inſtratæ velaminibus imponerent: pſallentibus interea nablijs, tympanis, tubis, & muſicè canentium alternis choris, populoque in genua procumbente, & complosione pectoris, æquè animi pœnitentiam, atque hilaritatem profitente.

Ritus præmõſtrandi Annulum.

Quadrata eſt Aedicula; quam Sigilla Patrum quatuor pulcherrimè diſtinguũt, totidem Lẽmata in protenſis deſcripta faſciolis, ad Deiparam Virginem relata, præferentium. Rex Dauid: TENVISTI MANVM DEXTERAM. Ezechiel. PORTA HAEC ERIT CLAV-

Aedicula in qua Annulus

Dauid pſ. 72.

Ezechiel. c. 44.

CLAVSA. Hieremias: LAETABITVR VIRGO IN CHORO. Ioannes Euangelista: VIDI ALTERVM ANGELVM. In medio Vasculum aureum cum operculo, quo, ductis & reductis ad apsidem funiculis ex auro fericoque, cluditur atque aperitur: ijsdemque Annulus profertur ac reconditur, bractea itidem preciosa obuallatus, ardentibus, vtique continenter Lychnis. Quemadmodum autem anno exeunte Iulius Secundus præter sacram supellectilem, turbinatam Crucis argenteæ basim cũ hoc titulo, expugnata Mirandula, alijsque victorij, clarus, Lauretum miserat.

Hieremiæ c. 31
Io. Apocal. c. 14.

IVLIVS II. PONT. MAX.
DEIP. VIRGINI LAVRETANAE
DICAVIT.
ANNO M. D. X.
IN HOC SIGNO VINCES.

Ita Aediculam ex superiore tholo Patres coronario opere, castigato ambitu, perornarunt, & litteris hisce paullò rudioribus & contractioribus exararunt.

DEI

† DEI. GRATIA. ANNVLVM. BEATAE. MARIAE. VIRGINIS. TRADITVM.EX. CLVSIO.PER. VVINTHERIVM. ORDINIS. MINORVM.
M. CCCC. LXXIII.
ORNATVM. SVMPTIBVS. LARGITORVM.
M.D.XI.

Sacrosanctum verò hunc Annulum, ad nostram vsque ætatem arctissimè seruatum, non Ciuitas modò Perusina, sed vniuersa etiam Europa, totusque Terrarum Orbis persanctè colit; qui MARIAE Virginis ac IOSEPHI, quorum Nuptias gloriosè ac plausibiliter oppignorauit, exorat fidem, & ad augenda in animis singulorum Christianæ pietatis studia opem vtiliter implorat. Et quidem clientelæ certissima constat ratio: quandò tutelares ambo ac propitij, huc è longinquis mundi partibus commigrantium iter benignè sospitant, omnesque supplicabundos profusissima salutaris beneuolentiæ caritate complectuntur.

Commentarij finis.
Laus B. Virg. ac S. Ioseph.

Angeli Ciaÿ Episcopi Theanensis.

Et benè habet, quod Clusiadas post sæcla quaterna
Deserat, & Gryphios Annulus intret agros,
Sic fertur mutasse frequens Cælumq; locumq;
Lauretana Domus sub breuiore plaga.
Porrò hic Christiparæ auspiciis habeare necesse est
Annule: vectores hinc propè, & indè pares.
Nam quamquam Angelicæ classes posuere priorem;
Quàm propè ab Angelica sede ministrat Homo?

Ad Perusiam.

Dignata Cælo coniuge, pulcrius
De Virginali pignore fulguras
PERVSIA, Heroum creatrix,
Ausonij vetus orbis Astrum.
Tot inter Vrbes Virginis ANNVLVS
Te signat. hac te coniugij fide
Procliuis est amplexus Aether,
Munere nobilitans emaci.
Ergò decoris Laurea crinibus
Debetur. ingens hanc tibi destinat
LAVRVS; coronali per Orbem
Nomine, & ingenio perennis.

Ad

Ad Illustriss. atq; Excellentiss. D.D.

FRANCISCVM SPATAPHORVM MALETTI PRINCIPEM, &c.

Io. Bapt. Laurus Perusinus Protonotarius Apostolicus.

REctè postulas, Francisce Princeps excellentissime, vt de Hugone Etruriæ Marchione, quàm in Commentario est factum, paullò nunc prolixius agam: cum rerum scriptores de illo non nimis multa, eáque fabulis intermista obtrudere posteris non sint veriti. Fatebor, quod res est: haud leuis nobis à tua laudabili cura fuit iniectus labor; qui sumptus est libenter tamen, ne quid indignum Gratijs admitteremus, tibi vtique gratificaturi, in cuius pectore Gratias ipsas suũ statuisse domicilium verissimè deprehendimus. Nec verò singula, quæ de præstantissimo Viro commemorari possent, huc conferre consilium fuit. Præstent hoc, De Hugone Etruriæ Marchione & Iuditta eius vxore.

quibus otium liberalius suppetit, suasque in schedas congerant, quæ de ipso Petrus Damiani, Luithprandus, Glaber, Sigebertus, alij fusius tradidere: potiora hic quæpiam percurras licet, ad veri libellam reuocata, & quibus non nisi liuor negotium facessat.

Qui de Hugone scripsere.

Alijs etiam Obertus & Albertus.

Hugonē, quo de nos loqui instituimus, Vbertus siue Adelbertus suscepit filiū: Adelbertum Hugo Italiæ Rex & Arelatensium Comes, sed ex pellice; iusto matrimonio Lotharium, qui Patri, ab Italiæ diutina dominatione ad Germanos suos redire gestienti, votis Italorum ita deposcētium suffectus est: quos omnes liquidò constat à Carolo Magno nobilissimæ originis auspicia mutuatos. Etruriæ autem Marchionatum Hugonis minoris familia obtinuit, ex quo ab Hugone Italiæ Rege, continuata seriæ priscorum Marchionum, eius administratio in Borsonem fratrem translata est; mox & Vberto filio notho demandata, Borsone in exsilium deportari iusso. Atque hic Vbertus Vvaldemundam primariæ nobilitatis feminam parentē habuit, qui Vvilam in matrimonium

Borso Etruriæ Marchio. à quo Vbertus, ab hoc HVGO

al. Guila cuius mater Vvaldrada Ricardi Burgundi filia.

nium duxit, Bonifacij Camerini Marchionis ac Spoleti Ducis filiam.

Ex Vberto & Vvila procreatus est Hugo, hæres quà paternus Etruriæ, quà maternus Camerini Marchio & Spoleti Dux. Vulgata verò est adulterij suspicio, propterea quòd cum ab Lotharij obitu Otho primus Italiæ Rex inauguratus esset, & fortè huius iram Vbertus incurrisset, in Pannoniam profugere coactus est: neque indè abscessit, nisi recollecta Othonis gratia, & veterum dissidiorum fibris Othoniana ex aula penitus reuulsis: per quod annorum spatium Vvilæ vxoris prudentia, ex arte imperium administrantis, æquè eluxit, ac deinceps religionis disciplina effloruit; cuius impulsu Florentiæ Ecclesiam S. Mariæ vna cum Cœnobio à fundamentis extruxit.

Hugo falsò creditus nothus.

Vbertus Othonis primi irã incurrit.

Ecclesia S. Mariæ Florentiæ à Vvila extructa.

Porrò cum Vbertus exulatum abijt, vxorem grauidam ignarus reliquit: quarè in Tuscos reuersus, Hugonem infantulum domi reperiens, tanquam minus ex se genitum reiecit, Vvilamque violati coniugalis thori ream accusare non dubitauit. Ceterum inita est ratio rei solertius indagandæ, prolisque in totum agnoscendæ. In amplissima do-

Adulterij suspicio qua ratione sublata.

mus area conuentus hominum longè frequentissimus est habitus, & Vbertus in promiscua turba, nulla subsellij aut vestium varietate dignoscendus, sedere iussus. Puer continuò solus dimittitur, qui aliquantulū in magna multitudine nemini alludēs, diuagatus est, tandē ad Vbertū peruenit, eiq; perindè ac patrē agnosceret, blandè, suauiterque adhæsit. hoc pacto infamiæ notam abstersit matri, qui instinctu planè diuino properauit ad patrem.

Hugo sponte se Ducatu Spoletano & Marchionatu Camerini abdicat.

Hugo vulgari habitu suos conuenire solitus.

Enimuerò inter præcipua moderationis exempla illud de Hugone multis cum laudibus circumfertur. Ducatu Spoletano vltrò abdicasse se se, & Camertium imperium Othoni cessisse, sibique Tusciam duntaxat reseruasse, in qua administranda tanta æquitate ac magnitudine animi excelluit, vt priuati habitu sæpius se suorum cœtibus subditorum immisceret, deque imperantis Domini rebus obloqueretur ipse, quò iustas & liberas in se suosque plebis ac procerum criminationes exculperet; & quæ digna animaduersione existimasset, ea quā maturè castigaret. hinc & optimi vocabulum inter sui tēporis Marchiones merito iure assecutus est.

In rebus paullò difficilioribus magnæ fortitudinis documenta edidit. Capuano enim Principe à factiosis quibusdam per vim nefariam obtruncato, eò statim Hugo accurrit. Capuam valido exercitu obsedit, expugnauit, capita factionum sustulit,& interfectum Principem acerrimè vltus est. Præsto item Othoni fuit, iterum ac tertiò Romam, ad Crescentij Nomentani tyrannidem profligandam, reuertenti, in quibus Vrbis tumultibus vel Romæ DVX appellatus est, iuuitque in rebus omnibus Christianam rempublicam peregregiè. Capuani Principis necem vltus est. Romæ Dux nũcupatus.

De Vxoris nomine, quã gẽmarũ atq; vnionum cupientissimam habuisse Hugo fertur, puto, valdè incerti essemus, nisi Florentinæ in id tabulæ nobis fuissent diuinitus pænè datæ; ex quibus non modò inditum ipsi Iudittæ nomen didicimus, verum etiam suscepisse liberos: & nos ad indicandum vtriusque in Cælites cultum, haud dubiè post B. Virginis repertum Annulum flagrantiorem factum, tabulas easdem, quas D. Podo confici iussit, vbi has litteras absoluerimus, tibi Princeps, exscribere proposuimus. Iuditta Vxor cuius nomen constat ex Florentinis tabulis. Diuus Podo Episcopus Florentinus.

Fuit Hugo, quo ad vixit, in maxima De Hugonis obitu.

hominum gratia, de cuius obitu tacere illud non debeo. Cum ob morbi grassan tis æstum propè iam esset vt extingueretur, ac Etrusci Italique Patres totius regni lumen eripi vniuersis impensè deflerent, Episcopus quidam in ligno, quod in igne tunc ardebat, litterarum vestigijs expressũ hoc lēma deprehēdit.

Hugonis vitæ spatium in igne deprehēsum.

HVGO MARCHIO QVINQVAGINTA ANNIS VIXIT.

Non multo post, nam id ætatis agebat, magno sui desiderio omnibus relicto, cum plura Monasteria partim ædificasset, partim locupletasset, mortalitatem sanctissimè expleuit. Nota temporis sepulchro eius incisa hisce verbis legebatur.

Hugo moritur. Sepulchri inscriptiones. 1001.

OBIIT ANNO SALVTIS MILLESIMO PRIMO XII. KALENDAS IANVARII.

H. M. H. N. S.

Quæ nihil præterea quàm hæc significare putamus.

HVGONIS. MARCHIONIS. HVGONIS. NEPOTIS. SEPVLCHRVM.

Et erat Florentiæ Sarcophagum eius porphyreticum, quod hodie ad mini-

ste-

ſterium aquæ fertur nimis ingratè redactum, iſta tunc inſcriptione ſignatum.

Ex. MS. cod. Caſſiani qui erat Maurolyci Abbatis.

F	LVCTVAT IN TERRI	S	QVI SEMPER VIVERE QVÆRI	T
L	VMINIS ET STABIL	I	NON MANET ILLE GRAD	V
E	N EGO DIVES HVGO D	V	X FVLSI NOMINE CLARV	S
R	EXI IVRA PI	E	TEGMINE CARNIS IN HO	C
E	T DOCVI MITE	M	PRAVVM SVB FASCE COEG	I
M	E RAPTOR FVRT	A	PAVIT AMARE MAL	A
A	FRVM ME COLVIT RE	G	NVM ET QVI REXERAT ILLV	D
R	OMA MIHI PARV	I	T VT PATER HANC DOMV	I
I	STE TAMEN TVMVLV	S	ME CLVDIT MARMORE PARV	S
T	VSCA MANVS PLORE	T	MORTIS HONORE SVB HO	C
V	T ME POENÆ ARDO	R	NON VRAT LECTOR ADOR	A
M	VNDO CORDE DE	V	M QVI BONA CVNCTA REGI	T
		M	ORE BENIGNO.	

Inducta tamen eſt alia inſcriptio, quia hæc non extabat, annis ab hinc centum quadraginta.

Sepulchri Hugoniani alia Inſcriptio Florentiæ.

HVGONI OTHONIS III. IMPERATOR. AFFINI AC COMITI
MARCHIONI ANDEBVRGENSI
HETRVRIAEQVE PRAEFECTO
QVI
DIVO BENEDICTO HOC OLIM
ET SEX ALIA COENOBIA
CONDIDIT
PII HVIVS LOCI MONACHI
DE SE BENEMERITO
SE-

SEPVLCHRVM VETVSTATE ATTRITVM INSTAVRARVNT ANNO SALVTIS M. CCCC. LXXXI. H. M. H. N. S.

Anniuersariũ Hugonis celebratum.

Huic quotãnis olim festo die S.Thomæ Apost.eloquẽtissima panegyri Florẽtini parentabant, quod Danthes indicauit, & nunc ea orandi consuetudo ad D. Stephani lucem traducta est.

Danthes Cãt. 16.Paradisi.

Ciascũ,che de la bella insegna porta (gio
Del grã Barone,il cui nome,e'l cui pre
La festa di Tomaso riconforta:
Da esso hebbe militia,e priuilegio;
Auegna che con popol si rauni
Hoggi colui, che la fascia col fregio.

Platinæ de Hugone encomium ad vitam Ioannis xix.

Nec in amplissimi viri laudem scripta à Platina in Ioanne xix. Pontifice prætermiserim. In his,inquit, malis vnicum leuamen Hugo præfectus Othonis in Italia, & Etruriæ Gubernator est habitus: adeò enim iustè & integrè prouinciam sibi traditam rexit, vt optimi Principis desiderium nemini non Prouincialium reliquerit. Quem postea Pistorij mortuũ Etrusci omnes non secus ac publicum parentẽ luxere, nul-

lo non genere honoris funeri eius adhibito. Et hæc satis Princeps humanissime, de Hugone Marchione pro Epistolæ modo. Lege & Florentinas tabulas, quas innueram, & Vale. Romæ.

Quomodo Episcopus Florentinus dedit & donauit Canonicis Florent. Ecclesiam S. Andreæ, quæ fuerat Abbatia Domini Vgonis Ducis. Hæc in tergo litteris vetustissimis

PODO EPISCOPVS FLORENTINVS. Ann. 990.

IN nomine Domini Dei æterni. Podo diuina largiente clementia sanctæ Florentinæ Ecclesiæ immeritus Episcopus, omnibus fidelibus sacrarum Ecclesiarum in Domino continuam salutem.

Minimè latere arbitramur prudentes, quibus nota est lectio autenticorum librorum veteris Testamenti, quia legitur in calce vltimi Libri Paralipomenon, & in exordio primi Esdræ, quem quidam Malachiam autumant, quòd filij Israel ducti fuerant captiui in Babyloniam per manũ Nabuchodonosor Regis cum Ieconia Rege suo, & post 70 annos misertus Dominus populo suo, Darius Rex Persarum suggessit omnia Paralipom. l. 2. c. 36. Esdra qui & Malachias c. 1

Israeli

Iſraeli in captiuitatem degenti, vt quicumque vellet, in Hieruſalem licentiam repedandi ad ædificandum domum Domini, & muros Ciuitatis haberet, dicens; Rex Cælorum omnia regna terrarum tradidit mihi, & nunc ſi quis Domini eſt, redeat, & templum eius, quod eſt in Hieruſalem, dedicet.

Cōuiualis cōgreſſus Epiſcopi & Hugonis Lectio facta in menſa Hugonis.

Quadam die ego inuitatus, acceſſi ad ferculum Domini Vgonis Ducis nobiliſſimi, epulaturus cum eo; cumque inter prandendum & loquendum multa de diuinis Hiſtorijs deducerētur in medium, contigit vt de repente ſermonibus noſtris interueniret lectio prædictorum librorum: & cum illuc ventum eſſet, vbi legitur, quod præfatus Tyrannus recordatus eſt Domini Cæli, & quod cauſſa illius timoris cunctos captiuitate detentos, libertate donaret; tunc prænominatus Dux, quo audacior nullus, ab intimo pectore diuino tactus ſpiritu, ſuſpiria longa trahens, inter cetera adiecit.

Si gentilis non agnoſcens veritatem, quæ Chriſtus eſt, cum tanta dulcedine Dominum Cæli nominauit, atque pro eius reuerentia longa pœnitudine alligatos, diutius oneratos remiſit ad propria:

pria; quid nobis faciendum est, qui relicto gentilitatis cultu, ab ipsis cunabulis cum lacte carnis de Incarnatione nostri Redemptoris & nostra liberatione per eius mortem audiuimus? Statim ego inutilis speculator, qui præsens aderam, cui hæc, quæ subiecta sunt, animo insidebant, humiliter respondi. O Karissime, Exemplum illius sume in opere, quem laudasti de deuotione.

Habebat quidem tunc tẽporis iam dictus Dux Abbatiolam vnam infra mœnia Florentinæ Ciuitatis dono meorum præcessorum, libellario nomine, in honorem Beati Andreæ Apostoli constructam, quam mox supplice meo rogatu & precibus, atque multiplici hortatu suæ consortis Dominæ Iudittæ, semper benedictæ, mihi refutauit, & meæ Ecclesiæ vsui & vtilitati tradidit, eo videlicet ordine, vt eam necessitatibus Canonicorum meorum præsentium & futurorum, per remedium animarum vtriusque Ducis videlicet, & pro salute Coniugis, & pro salute mea, meorumque successorum tribuerem, quod me facturum illicò bono animo sum pollicitus.

Iuditta vxor Hugonis.

Qua propter dictam Abbatiolam in hono-

honorem Beati Audreæ Apoſtoli fundatam, infra Florentinam Vrbem ſitam cum omnibus ſuis pertinentijs in Canonicos Florentinæ Eccleſiæ dono, & largior; quatenus ipſi Canonici, tam qui nunc ſunt, quàm qui in ea ordinati fuerint in futuris temporibus ex fructibus ipſius terræ, reditu vel cenſu cotidianam habeant refectionem. Neque volo vt aliquis de ipſis Canonicis habeat poteſtatem de ipſis rebus aut terris libellarias facere, aut aliquid donare, aut ex his, quæ dn̄s exinde dederit, audeat inter alios diuidere; & ſi quid horum fecerint, donationem vel diuiſionem eorum iubeo irritam fieri; ſed cenſeo, ſtatuo & confirmo; vt vnus vel duo Clerici, quos ego elegero, habeant poteſtatem de omnibus illis rebus eſum carnium & piſcium comparandi, & infra clauſtra Canonicæ eis ad conueſcendum tribuendi, quatenus vnanimiter comedentes & bibentes, gratias & laudes Omnipotenti referant, & pro incolumitate Domini Ducis Vgonis & ſuæ Coniugis, & vtriuſque prolis, & noſtra, noſtrorumque ſucceſſorum, Dominum exorent. Poſt deceſſum verò illorum Clericorū, quos

Hugonis & Iuditiæ filij innuuntur.

quos ego ad illud minifterium ordinauero, habeant ipfi Canonici poteftatem ordinare aliquos ex fua congregatione timentes Dominum, qui ex iam dicto minifterio eis fideliter deferuiãt, in quibus non fit zelotypia, neq; fraus, neque dolofitas: & fi inter fe ita difcordes fuerint, & quæ iuffi atque ordinaui, adimplere noluerint; tunc fucceffores noftri, timorem Dei præ oculis habentes, ita ordinent, vt eam voluntatem in omnibus adimpleant, & oculos diuinæ maieftatis non offendant. Siquis autem hanc noftram ordinationem & teftamenti firmitatem temerarius violator, fiue Imperator, fiue Rex, Dux, fiue Marchio, Archiepifcopus, vel Epifcopus, aut quælibet perfona, magna vel parua, Clericorum vel laicorum infringere voluerit, aut tentauerit, cum necatoribus egentium & cum Iuda Domini traditore, hereditatem infernalem recipiat, & maledictionem æternæ damnationis acquirat; conferuator autem beatorum Spirituum confortium fine fine poffideat.

VGO Marchio

Leo Iudex Domini Imperatoris.

Podo

Podo sanctæ Florentinæ Ecclesiæ inutilis Episcopus in hac ordinatione & testamenti firmitate *,* & ad scribendum alios rogaui.

Petrus Iudex.

σϖeuopertus Iudex Domini Imperatoris.

Sigefredus Iudex Domini Imperatoris.

De Annulo desponsæ Virginis, quem religiosè Perusia seruat, & Io. Baptista Laurus Historico Libello complectitur.

A. I. V. C.

Vrbs Lauri quæ nomen habet Picena per arua,
Virgineæ seruat tecta beata domus.
Perusiam magnæ sed enim Sponsæ Annulus ornat,
Virginei pignus nobile coniugij.
Par decus est. Illa Virgo requieuit in æde:
Hoc noua Nupta datam vinxit in orbe fidem.
Illa volans medio Lauretæ constitit agro:
Hunc tua descriptum pagina, LAVRE, tenet

Fuluij Corradi P.

Exeat, & radians circum puro Annulus Astro
Perte, Laure, aura liberiore volet.
Publica lux illi deposcitur, & tibi laudis
Publica fax. par votum Vrbis & Orbis ama.

Per

PERILLVSTRIBVS AVGVSTAE VRbis Decemuiris, reliquiſque Magiſtratibus atque vniuerſo Populo Peruſino

Io: Baptiſta Laurus Peruſinus Prot. Apoſt. S. D.

ANNVLVS *Aureus res olim ſacra & Senatoria; hoc tempore nihil perindè tritum ac populare exiſtimatur. Gerunt è fæce plebis homunciones, qui ſalſamenta macerant, tractant raſtros, Vrbis quiſquilijs euerrendis ſe turpiter commaculant. Eat nunc ſanè Innocentius iij. & Henricum Angliæ Regem Annulis quattuor rurſum donet. Credo, inſpecta muneris popularitate, quo tam inſigniter haud dudum vilia capita abuti cœpere, de ſententia decedat, & ab aureis conſultius migret ad ferreos: vt ſaltem myſterij pondus doni ruditatem excuſet; quaque Annularia Xenia in deſuetudinem abiere, precium à raritate mutuentur. Id mecum ſæpius cogitanti, in mentem venit ſuſpicari: fuiſſe non ab re delectum à Deipara Virgine* ANNVLVM *a-*

deò vulgari gemma conflatũ, qui Nuptÿs cum Iosepho contrahendis interueniret, & apud nos, rara PERVSINAE Ciuitatis felicitate, arctissimè adseruatur. Nimirum vt tanta documento simplicitatis intelligeremus; preciosioris materia circulos non tanti esse debere apud Christianum Populum, qui facilè à luxurie digitorum Annulis grauium, ad animi sordes, auaritiãq; traducitur. Huius Virginalis Gemmula Historiã, nostrorum incuria, qui iampridem elegantius conscribere potuissent, prateritam, de industria à nobis nullo cultu expressam, Vobis vna cum Clarorum Virorum Testimonÿs, & Elogÿs, legendam mitto. Quid enim eò accerserem fucum, à quo certo consilio non abest simplicitas? quam etiam in pracipua sponsalis mundi parte MARIA toto vita curriculo constantissimè retinuit. Reuocate vos vtriusque exemplo veterem frugalitatem; & sperate Vrbis fœnori ampliter accessura, qua prisco ritu, verissimum simplicitatis exemplar, Christi humillima contempsit Mater. Valete. Roma. Kalendis Aprilis M. DC. XXII.

IL-

ILLVSTRIVM VIRORVM
DE
ANNVLO PRONVBO
DEIP. VIRG.
TESTIMONIA
ET ELOGIA.

Petri Arcudij Corcyræi V. C.

Αἰγύπτου τεράεσσιν ἓν ἦν περιώσιον ἄλλων,
Καὶ φάσαν, ἦ ῥα Θεοῦ δάκτυλος αὐτὸς ἔφυ.
Δακτύλιον λεύσσων θεομήτορος ὦ ξένε φήσεις
Σῆμα τὸ δ' ἐμφαίνει νόσφι γάμοιο γάμον.
ἀνδρὸς ἀθικτα λέχου, καὶ μητρὸς παρθενονύμφης.
Θαῦμα μέγα ζητῶν φέρτερον οὐκ ἂν ἴδοις.

INter prodigia Aegypti unū erat excellentius alijs,
Et dixerant, profectò Dei digitus hic est.
Annulum aspiciens Deiparæ ô hospes dices,
Signum hoc indicat innuptas nuptias
Viri, qui Uxorem non tetigerit, & Matris, quæ Sponsa & Virgo sit.
Magnum miraculum quærens, præstantius non utique videris.

EX LIBRO DE EPISCOPIS Perusinæ Ecclesiæ.

Iacobus Vannutius Cortonensis Episcopus Perusinus.

IAm verò 1473. Sacrum, nouum & memorabilem, ac vel præcipuè consecrandum æternitatis memoriæ thesaurum Iacobus recepit. Dico illum sacri illius, intemeratique inter Deiparam & B. Iosephum connubij arrham atque sponsorem ANNVLVM, qui in Ciuitatis hoc anno potestatem peruenit, Clusio, cui ab antiquissimis temporibus erat peculiaris, ad eam translatus. Casu autem quodam id factum est, siue furto potius Vvintherij cuiusdam Germani, vt ferunt, origine, sed qui è D. Francisci sodalitio esset. Is siquidem ex eiusdem, cuius profitebatur institutum, D. Francisci apud Clusinos Aede, clam, vt inde in Germaniam suã asportaret, sublatum, cum id non posset, detectus Perusiæ à familiari, cui rem aperuerat, & Magistratibus indicatum, mutata tanquam velificatione,

Ex Biblioth. Neapolionis Comituli Epi. Perus.

donum illis ipsis magistratibus obtulit. Qua de re, vt nullum publicè signum est lætitiæ prætermissum; ita magnæ quoque Ciuitati, & multæ turbæ concitæ, hinc sacrilegij ream peragentibus Clusinis, inde arma Senensibus expedientibus, & rerum omnium vastitatem, ni redderetur ANNVLVS, interminantibus. Sed intercessit pro potestate Pontifex, & ad se Romam caussæ dictionem reuocauit. vbi agitata vtrinque, & momentis suis vltrò citròque examinata caussa; cum satis constaret sacrilegij omnis Perusinos expertes; secundum eos tandem, diuinum, quod acciderat; interpretatus consilium, sententia data, pronunciauit. Ita in D. Laurentij Basilica, Sacello in id B. Iosepho constructo, repositus, summa religione cum alias, tum in primis iij. Non. Augusti, ingenti etiam remotissimorum populorũ concursu, spectandus proponitur. Est autem è gemma Onychina solida conflatus, quam Amethystum alij vocitant. &c.

EX CENTVRIA QVARTA ANNAlium Ord. Seruorum.

Archangelo Gianio Florentino Auctore, dum meminit Fasciæ B Virg. quæ est Derthonæ in Ecclesia eorundem PP. Seruorum.

QVIBVS sanè preciosissimis ferè omnibus muneribus, Orientali plaga à Christianæ Fidei hostibus deuastata, Italiæ regio ditata fuit. Nam præter hanc venerabilem Fasciam, quam obiter contemplantes à longè veneramur, Italia ipsa Lauretana domo in Piceno meruit decorari, PERVSIVM Vmbriæ caput conspicuum illum Beatæ Virginis Nuptialem ANNVLVM deuotissimè conseruat, & in Cathedrali ingenti omnium veneratione colit; quem pariter summa multarum Clauium cura, partim à Senatu, partim à diuersorum Cœnobiorum religiosis Præfectis, inter quos connumeratur Prior noster Seruorum, custoditur: Prati quoque &c.

Ad Annum M. D. LXXI.

Claues ad custodiam Annuli multæ. Clauis penes Seruitas.

Ex Ioanne de Carthagena Hiſpano De Sponſat. B. Virg. ac excellentia Sponſi D. Ioſeph.

Tom. 2. lib. 4. Hom. 1.

DVPLICEM deindè cæremoniam, quam in eo ſacro Sponſalitio interceſſiſſe autumo, non eſt cur inutili ſilentio prætereàm. Prima eſt, quod Sanctus Ioſeph ANNVLVM porrexit Beatæ Virgini: Annulum enim Sponſalem loco Arrhæ ſolitum dari, inter Hebræos non obſcurè colligitur, & Card. Baronius adnotauit, ex illo Geneſi: Dixit Thamar: patiar quodvis, ſi dederis mihi arrhabonem, donec mittas, quòd polliceris. ait Iudas: quid vis pro arrhabone dari? Reſpondit, Annulum tuum. Hic autem ANNVLVS Beatæ Virgini à Sancto Ioſepho datus PERVSIAE Italiæ Ciuitate, in Eccleſia Sancti Laurentij, magna veneratione aſſeruatur; cuius tamen materiæ ſit, diſtinctè diſcerni non poteſt. Altera &c.

Card. Baron. To. 1. Annal. Chr. 57. Gen. 38.

DAVID

DAVID HAEX I.C. BELGA A CVbiculo Apoſtolico

Io. Baptiſtæ Lauro Peruſino Prot. Apoſt. S. P. D.

PRobaſſe te P. Andreæ Scotti, Auunculi mei maioris, de colligendis Cardinalium doctrina, pietateque maximè illuſtrium Elogijs conſilium, mihi perindè gratum, atque illi honorificum: qui totus ex doctorum Virorum arbitrio pendet, exquiritq; in omnibus quæcumque ſcribat, ſententias ſingulorum, Romanis Senatoribus purpuratis ſignificationem ſtudij, amoriſq; ſui, alijs verò, qui ſequentur, Lampada libentiſſimè traditurus. Elogiorum exēplum vt ad me referendum cures, etiam atque etiam rogo, daturus ea Illuſtriſſimo pariter ac ſapientiſſimo Cardinali Zolleren, qui antehac à me popoſcit. cui vltra Elogium Bonifacij Card. Caëtani ex Prima tuarum Litterarum Centuria excerptum, velim noui aliquid ac peregrinum obijcere. Mitte obſecro te Laure, eam Commentarij de ANNVLO PRONVBO B. Virg. partem, quæ ha-

hactenus impressa est. Tam enim ex animo scriptionem tuam Clariss. Princeps leget; quam religiose olim ipsum vidit, & veneratus est, cum Perusiæ, priusquam in cœtum honorariorum Clementis viij. nomen daret, studiorum causa versaretur. Nec dubitandum est, quin te illo quoque ex labore summa laus consecutura sit. Habeo Scriptorum tuorum testes Antuerpienses litteras, quas, vbi coram cogrediemur, summa cum voluptate audies. Quamobrem vero non in præsens eam tibi describo particulam, quæ non modo te, sed Illustriss. Card. Barberinum tangit? In hunc enim modum scripsit elegantissimus Gaspar Geuartius Reipublicæ nostræ ab actis Quatuor-uir.

Misit nuper ad me Lutetia Parisiorum Nic. Fabricius Peresius Senator Regius Poëmata Illustriss. Card. Barberini, quibus disperéam, si quid augustius aut excellentius in eo genere vnquam viderim. Sane Pindaricæ maiestatis sublimem Genium adeo feliciter exprimit, vt (quod ἀδύνατον olim Flacco visum) vel æquauerit disertissimum Vatem, vel superauerit. Gratulor sæculo & Musis, ad quarum amœnitates sa-

ſacrum illud Purpuræ decus ; ſuæque fortunæ faſces Vir tantus ſubmittere dedignatus non eſt.

D.D. Hier. Aleandro, Bartholino, Settonio; Io: Baptiſtæ Lauro plurimam meo nomine ſalutem aſcribas velim, cultumq; & obſequium offeras.

Epiſtolas D. Lauri nuper editas velim, vbi latoris cuiuſpiam commoda ſe ſe obtulerit occaſio, ad me mitti. Sed non te pluribus morer, fortaſsè Typographio iam adeſſe compulſum. Vale Vir Clariſs. & me ama. Romæ ex Aedibus Kal. Aprilis MDCXXII.

EX QVARTO ITINERARII Lauretani.

Andreæ Baiani Theologi Luſitani.

IAmq; ſecūda aderat menſa, & Vindemia fructus
Acta ſuos, botros, pomaque læta dabat:
Dulcia iam tandem ventum ad bellaria: noſtri
Quæ fuit aduentus proxima cauſſa, rogo.
Noſſe velim. venerande Pater, ſacrū vnde Mariæ
Annulum in Auguſta hàc contigit Vrbe tegi.
Quis dederit fidei monumentum, & pignus amoris,
Virgineum euinxit quo pia Virgo Virum.
Exſpexi, inſpexique orbem, ter & oſcula fixi,
Bractea ſed quantum, & Pyxis auara tulit;

Cer-

Cernere materiem, aut oculis haurire colorem
Vix potui: hoc etiam discere, cura subit.

P. Iacobus Torti tunc Prior Conuentus Dominicanorum Perusiæ.

Tortus ad hæc: Dicam, quæ excepi, aut multa legêsti
Occurrere mihi; quæque probanda puto.
Clusium in Hetruria Vrbs celebris regione, sacratas
Hasce (nec exiguo tempore) texit opes.
Vnde datæ ignoro: belli nisi caussa feratur,
Omnia vbi prædæ sacra, profana iacent.
Assyrius fortè huc miles portasset, an alter
Qui spolio hac prensus prætereunte foret.

Tolet. in 8. c. in Lucam an not. 30.

Nonnè ita Præputium Domini venerabile pago
Italiæ inuentum constat, ibique manet?

Historiam fuse explica in Itinerarij. De Germario Clusino verior Hist.

Fama tamen melior: Germarius institor Vrbe
E Dominà huc transfert nescius inter opes.
Gens Clusina diu seruat, sed tempore Othonis
Germanus prædam hanc relligiosus agit.

Fr. VVintherius Perusiã attulit.

Portat in hanc Vrbem. pignusque fidele reponit,
Cana vbi in ore fides; pectoreque vna manet.
Clusini tanto spoliati pignore, Senas
Implorant, quarum tùnc ditionis erant.
Rem repetisse volunt armis. Perusina iuuentus
Se tegit. & vires viribus vsque probant.
Nil tamen efficitur. iam Martẽ in Pallada vertũt;
Iure agitur. sacra iàm fora lite sonant:

Innoc. viij.

Aeternùm mansura quidem: nisi Maximus omni
Pastor in Orbe Ligur iurgia disiiceret.
Materiem suffecit Onyx, pretiosa Lapillùm
Gemma, Palæstino quæ fodi in orbe solet.
Et decuit, sacros qui Virginis induit, orbem
Articulos, gemmans totus vt ille foret.
Virginei quæ Hymenæa tori sacraret, & aurum
Virgineum excoleret, non nisi Gemma foret. &c.

Io. Bap. Bottinus Luceñ I. C.
Io. Bap. Lauro Peruſ. V. C.

Romam

SCribis, te ſollicitum eſſe de mea valetudine, & grauiter expoſtulas, quòd nihil dederim ad te litterarum, ex quo Roma diſceſſi. Agnoſco amorem in me tuum, quo fit, vt mihi quidem iucundior ſit tua querela, quàm vt excuſandum me putem. Sed vt iam tibi ſatisfaciam, ſcribendi tarditatem bonis de me nuncijs compenſabo. Nunc igitur me optimè habeo. Peruſini Cæli ſalubritas viſa eſt ſubitò vires longa febri valdè imminutas reſtituere. nec dubito, quin id etiam factum ſit animi noua quadam hilaritate. Qua enim voluptate me affectum putas, congredientem ſingulis ferè paſſibus cum veteri aliquo amico? Quid autem referam beneuolentiæ & honoris ſignificationes, quibus ſum exceptus? Maſſini vnius conſpectus, quò inſperatior (nam Roma digrediens miſeram homini literas Ticinum) eò maiore me gaudio cumulauit

lauit. Nosti autem, quàm is in mei amorem sit effusus. ad eum frequens venio, & suauissimè fabulando fallimus caloris molestiam. De te hodie plurimus sermo, & de consilio, quod cœpisti scribendi Cōmentarium de ANNVLO Beatissimæ Virginis, qui iã diu in hac maiori Ecclesia religiosissimè asseruatur: Id sanè tuæ laudis & pietatis erit pulcherrimum, æternumque monumentum: id Ciues, id exteri, id posteri denique efflagitant. Equidem mirari soleo, quòd de tam insigni vestræ Vrbis ornamento nihil ad hanc diem fuerit à quoquam publicæ memoriæ proditum, cum præsertim numquã Perusiæ defuerint homines ingenio, doctrina, religione præstantes: vt existimandum sit, hoc munus tuo præcipuè calamo diuinitus sepositum & demandatum. Quæso igitur, Laure, noli omnium gentium expectationem fraudare; i alacer, quo te Superi vocant. Ego hic plus triduo me continere non possum: reuocant mater, fratres, domusq; tota. neq; enim sibi facilè persuadent, me tam breui planè conualuisse. Itaq; reliqua æstate domi inter meos quiescam; deindè cum primum licuerit, Ro

mam

mam ad vos me conferam. Interea peruelim ijs de rebus a te certior in dies fieri, quas mea referre arbitraberis, vt sciam. Nolo hanc tibi prouinciam sumas, vt rumores omnes, quorum insolenter Aula ferax est, ad me afferas, Ego verò cum tua causa omnia velim, quid hic, aut Lucæ præstare possim, nescio. illud certè vbiq; præstabo, vt te singulari obseruantia, & amore prosequar, vti debeo. Vale, & communibus amicis meo nomine plurimam salutem. Perusiæ 3. Id. Iul. MDCXIV.

Andreæ Baiani Theologi Lusitani.

ORbē, Orbis quo structa salus et pronubus Aether
Virginea arrbauit pectora, Laure doces.
Rarum opus: altus vbi sic rerum, vt temporis ordo
Lucet; & ingenij pandis & artis opes.
Vindice te Lauro, cedro non inuidet: imò
Quòd te habet Autorem ne Ἀρτινοῦ esse putat.

HORATIVS CAR. LANCELLOTTVS
Io. Baptistæ Lauro S. D.
Perusiam.

SIgnificarunt mihi, qui vectigalia mea istic curant ex Abbatia S. Beneniatis; huius Ecclesiam rimas ita grandes cœpisse ducere, vt, ni quàm pri-

primum occurratur, de ruina metuendum sit. Velim pro eo studio, quo mea tibi curæ esse solent, rem cum aliquo Architecto inspicias propius, meque de sumptu, qui faciendus erit, admoneas: simul de eodem D. Beueniate aliquid nobis reconditius eruas, quàm in Catalogo SS. Italiæ à Ferrario est factum. Spondet hoc mihi eruditio tua Laure, quem ad Patriæ decus, de ANNVLO B. Virg. qui apud vos est, Historiam moliri audio, quæ auidè expectatur, & Chronicon Perusinum. Perge feliciter & Vale. Romæ xv. Septemb. MDCXIIII.

F. PHILIPPI FERRARII ALExandrini S. Th. Doct. ac Mathem. scientiarum in Ticinensi Gymnasio Professoris ad Io: Baptistam Laurum Patric. Perusin. S. Th. D.

Paranesis.

SI, qui Cybeles, Matris Deum, Currum; Veneris & Iunonis Cestum; Palladis scutum; Dianæ pharetram, aliarumque inanium Dearum insignia, pura

pura Poëtarum figmenta,ſcriptis ſuis celebrarunt, oblectant, & in admiratione habentur; quantò tu Laure, ἀξιοπαινετότερος, καὶ ἀξιολογότερος eris,ſi quem περὶ τοῦ δακτυλίου MARIAE verè veri & ſummi Dei Matris Librum eruditiſſimè conſcripſiſti, edideris. Hoc ſtudioſis omnibus gratum facturus, vt quàm primum facias, te ego non tam hortor, quàm oro; ſic enim & te Magnæ Dei Matris Δοῦλον φιλότατον oſtendes, & Patriam, quæ Virgineum ANNVLVM illius habet, maximè illuſtrabis.

Etſi enim Perusia Vrbs ſanè Auguſta eſt, vt antiquæ illius Portarum inſcriptiones indicant; longè tamen auguſtiorem exiſtimo, quòd illi ANNVLVM, quo electiſſima Virgo, quæ Deũ peperit, deſponſata eſt, habere diuinitus conceſſum fuerit: neque enim in dubium reuocari poſſe video, àn hic ille ipſe Virginis Annulus ſit; cum plura ſigna & prodigia maximè circa ἐνεργουμένους eueniſſe non lateat, & quoties viſendus exponitur, ingentes & inſoliti à Cacodæmone agitatorum clamores exaudiantur; vt ipſe, qui fortè aliquandò,tota penè Ciuitate confluente, interfui,non ſine ſtupore & admira-

De veritate Annuli B. Virginis Mariæ apud Peruſinos.

tione, vt Vrbem PERVSIAE felicem & beatam cogerer compellare, testari possum: tum antiquissima Vrbs, in qua per omne tempus in omni virtutum genere Viri floruere, ad omnem ambiguitatem ex animo profligandam sufficere videtur. Nemo nesçit Annulum amoris & fidei symbolum esse; ac, præter ornatum ingenuæ nobilitatis, insigne. Nã quod ad amorem attinet; illud ex cap. Lucæ xv. facilè declarat: vbi Pater Filio ad se reuertenti Annulum in manu illius dari præcipit, vnde in digito manus sinistræ gestari solet minimo proximo, vt Gell. lib. 10. cap. 10. & Macrob. lib. vij. Auctores sunt; quod ἐκ τῆς ἀνατομῆς ex corde neruulum quendam in eum læuæ manus digitum deriuari, terminarique obseruatum fuerit. Quod etiam attinet ad fidem, cur sponsus sponsæ Annulum tradit, nisi vt fidei simul & amoris arctissimo vinculo obstringantur? cur & testamenta, quæ in scriptis vocant, testium Annulis obsignantur, nisi vt fidei robur accipiant? Quantum vero ad nobilitatem spectat T. Liuius, vt omittam alios, lib. 2. Bell. Pun. abundè docet, apud Rom. Annulos gestari haud licuisse nisi ijs, qui Pa-

tricij, vel equestris ordinis essent; idq; ab eo tempore lege cautum fuisse. Idcirco M. T. C. inter alia crimina Verri hoc quoque obijcit, quod Annulos ignobilibus gestare permiserit. Tanta autem Annulis fides habita est, vt Seruo Heri Annulum proferenti, haud secus quàm hero ipsi crederetur. Quod idem M.C. ad Q. Fratrem scribens reprehendit, quòd sæpè sic Annulum alienæ, non propriæ voluntatis ministrum esse contingat.

Ex quibus optimè tibi perspectis, nemo non intelligit, quanto amore Perusiam Regina Mundi prosequuta sit; dum proprium ANNVLVM illi perpetuò seruandum concessit. Hoc namq; argumento non modò illam nobilissimã Vrbem, sed & sibi maximè caram, fidelissimamq; apertissimè demonstrauit; vt propterea Perusinorum felicitati summoperè gratulandum sit. Nam si Messanenses Litteras eiusdem Deiparæ, quas summa pietate colunt, maximaq: religione seruant, & qui aliquid eiusdem Virginis indumentorum, criniumue, aut alterius rei habuere, tanti faciunt, vt se felices putent, & thesaurum incomparabilẽ se possidere gau-

V. Deiparæ amor erga Perusiam.

deant; cur non etiam Ciuitas Perusina tanto Virginis dono ditata, se inter Italiæ, imò etiam totius Orbis Vrbes præcipuas censendam iactet gratulabunda? Tu itaque doctissime mi Laure, si verè φιλόπατρις, siue si te Patriæ amor tenet, vt opinor; ne amabo thesaurum hunc ignotum exteris patefacere cunctis. Ex Academia Ticinensi.

Ad Anulum Deip. Virginis

D. Alphonsus Caietanus Aragoneus.

ANule, connubij quondam qui fœdera sancti
Firmasti articulis inclite Virgineis.
Circulus esse tuus mallit iam Signifer orbis,
Ferre per obliquas quam sua signa vias.
Et viduum gemma cum te Sol aspicit; ipse,
Credo equidem, fieri Sol tibi gemma velit.
Nec dubitet, paruo nequeat ne claudier orbe;
Virginis en vtero clauditur ipse Deus.

Iosephus Mariam alloquitur.

SVme, Puella, tuus quæ fert tibi munera coniux,
Anulus hic nostri nexus amoris erit.
Si non Eous medio micat orbe lapillus:
Quærenda est alio gemma marita mari. (omen.
Tu Mare, Virgo, meum es. Maris est tibi nomen, &
Ah valeant rubri iam mihi dona sinus.
Tu Mare Virgo meum es, tu gemmam suffice, sitq;
Siue fides adamas, siue pyropus Amor.

Iacobus Pyronius Neapolitanus.

IN ANNVLVM BEATAE VIRGINIS PERVSIAE SERVATVM,

Ac Io: Baptistæ Lauri Theologi Perusini Commentario illustratum,

GASPARIS MVRTOLAE I. C. & Theol. Genuensis Carmen.

Non est Annulus,
Non est hoc magis
Diues, & nitens;
Non est Annulus
Hospes, hoc magis
Pulcher, & leuis;
Cedit Annulus
Huic Gygis potens,
Totusq; aurea
Fulgens bractea;
Cedit Annulus
Omnis regius
Huic; & qualibet
Gemma ditior
Terræ, & æquoris.
Non Iaspides
Auro conditi
Aequari queunt.
Adamantinus
Non quit calculus,
Non smaragdinus,
Non hyacinthinus
Præferri, ac simul
Qui læui, & vaga
Floret purpura,
Qui sinu è suo
Ignes euomit.
Quin huic Annulo
Cedunt Sidera,
Et Sol, & patens
Luna clauüier
Hoc in Annulo
Vellet; hic enim
Mortales manus
Haud cinxit, neque
Profanos thoros
Coniuxit simul,
Sed sanctissimam,
Sed castissimam,
Sed bellissimam,
Virginem Dei
Parentem, fide

Deuinxit sua.
Ex hoc Annulo,
Ex hoc paruulo
Orbe en vt salus
Orbis cœlitus
Omen detulit.
In hoc Annulo,
In hoc paruulo
Orbe, vt compedes
Inuenit suas
Serpens, & Draco
Ille, qui dolo,
Et pellacia
Frontis subdola
Euam compulit
Ad pomum, & necē.
Per hunc Annulum,
Per hunc paruulum
Orbem, vt perditam
Fidem adulteri
Mariti sibi
Sentit reddier
Amica integra,
Ac amabilis!
Ad hunc Annulum,
Ad hunc paruulum
Orbem, inhospiti
Ex orbe vt venit
Flauus Sarmata,
Et Thrax, & Geta,
Crispusq; Aethiops,
Et in hunc sua
Flectit genua,
Inclinat caput!
Sed hunc Annulum,
Sed hunc paruulum
Orbem cernere
Nunc dat omnibus
Eloquentiæ
Author elegans,
Elegantiæ
Author eloquens
LAVRVS. hic docet
Vnde illum inclyta
Vrbs receperit,
Quo coagulo
Hunc compegerit
Manus dædala;
Et hæc omnia
Sic amœniter,
Sic bellè, & probè,
Vt ex omnibus
Partibus sibi
Cohærens, fiet
Sibi & Annulus,
Sibi & Laurea.

V. C.

V. C. Abrahamo Bzouio Polono Io: Bapt. Laurus S.D.

In Vaticanum:

ERgò incolumi fœdere Gratiarum, quod cum Vigiliarum tuarum amantibus abs te contractum oportuit, litterarium aliquid à quopiam rogatus negare non potes, Vir doctiſſime. hinc & boni audaciam meam conſulueris, quæ benè & feliciter ceſſerit, ſi à grauiſſimis curis tantiſper feriatus, cupiditati meæ ſatisfaciendum putaueris. Inde ab Autumno ineunte Anni, qui ſe iam conuoluit, Commentarium habeo præ manibus de ANNVLO, quo Mariæ Virginis digitum S. Ioſeph oppignerauit, & ſumma religione Peruſiæ aſſeruatur, de quo plerique rerum ſcriptores mirè ſilent. Cogitaui autem maximum operæpretium me facturum, ſi ad feracem eruditionis tuæ agrum confugerem, ex quo in arentem meum pluſculum deriuarem. Obſecro te, Bzoui humaniſſime, ne pigeat haud dico me, ſed nobiliſſimam Patriã demereri, quæ

Ex Centur. II. epiſt. 9.

 immor-

immortalem cuiuis habitura est gratiam, per quem tanti Donarij cultus & veneratio augeatur: & certè per te plurimum augebitur, si gemmulæ è Palæstina in hanc primum Vrbem, deinde Clusium, postremò Perusiam allatæ, tuũ ipse calamum, eximius Annalium Ecclesiasticorum nostro æuò Scriptor fueris admolitus. Vale Romæ ex Aedibus Id. Nouemb.

Viro Illustri Io: Bapt. Lauro F. Abraham Bzouius S.

NOn minus piæ, quàm eruditæ curiositati, vel cupiditati tuæ de ANNVLO Sacrosanctæ Deiparæ, quid in præsens respondeam, præter ista paucula, non habeo. Verisimile mihi est, castissimam Virginem, Iosepho Virginei floris futuro custodi, subarrhatam Annulo fuisse. Receptus mos obtinuerat, non apud Gentiles modò, verum & apud Hebræos, Pronubales Annulos & dare, & recipere, fidei seruandæ, tanquam certissimum aut signum aut monimentum. Hester à Viro vidua, inter cymelia seruauit. non nemo earum, quæ

potesta-

potestatem sui viro faciebat, Annulum proferebat, atque referebat: quod curiosi rerum Hebræarum obseruarunt: vt propè vero sit, intemeratam Virginum primiceriam Mariam, eandem tesseram posteris reliquisse, hypomnema clarissimum fidei nunquam violatæ, Virginitatis nunquam delibatæ. Quod autem Italiam, adeòque nobilissimam Ciuitatem hoc Annulo, veluti pretiosissimo donario, Regina Cælorum dignata sit; facilè mihi persuadeo: cum in Italia videam Aedem Lauretanam, Angelicis manibus è Palæstina delatam, Cunas & Præsepe, in quibus eum, quem Orbis capere non sustinet, collocauerat; capillos, zonam, sudaria, & id genus pretiosissima à Diua Deiparente relicta pignora, ab Oriente Romam, & in alias occiduas Vrbes, piorum studio translata. De vestro Annulo auget fidē longi temporis acerrima inter bellicosissimos vestros Perusinos ac Senenses ante C L. annos dimicatio; quam opus fuit SIXTO IV. Pont. Max. dirimere, Annulumq; vestrum Romam deferri iubere, seponendum in aliqua Vrbis Basilica, ad vniuersi Orbis culturam. Hæc mihi in extemporaneum ca-

lamum

lamum, venerunt. Ceterum animum magis aduertam, siquid aliud de tam incomparabili Cymelio potuero, vel ex prioribus lucubrationibus in memoriam, vel ex accuratiore in posterum inuestigatione in lucem producere. Tu porrò eam, quam augusto stylo ornandam, illustrandamque suscepisti Gemmam, Orbi proponere perge. Nam *sapientia inuisa, & thesaurus absconditus, quae vtilitas in vtrisque?* Vale. Ex meo apud S. Petrum Musæo. postrid. Idus Nouembris.

EX PRIORE PARTE HIEROmeniarum, siue Sacrorum Mensium Admod. R. P. *BANDINI GVALFREDVCcij Pistoriensis è Societate Iesu.*

De Annulo, quo B. Virgo desponsa. Perusiæ asseruatur.

xix. Martij. *OMnibus hic gemmis, atque omni circulus auro*
Ditiòr, è digito Virgine traxit opes.
Inspice, & inflexo mox poplite pronus adora:
Sunt hæ, quas meritò deuenereris opes.

De

De Eodem.

Annulus in digito diuinæ vt Virginis hæsit,
Demite, ait, gemmas, Gemma Puella mihi est.
Aut si danda alia est, Stellam deducite Cælo:
Cetera dedignor lumina, Sidus amo.

Eidem.

Arrha, fide digitos, atq; imas necte medullas:
Integra Virgineus pectora iungit Amor.
Virgineo neque Flore potest, neque Prole carere
Virgine, quæ Tales nectit vtrinque fides.

EX GENEALOGIA SERAPHICA Ord. Min. Conuentualium P. Hilarij Altobelli Piceni Theologi.

De Reliquijs Ecclesiæ S. Francisci in Custodia Clusina.

Asseruabatur olim in ista Ecclesia ANNVLVS B. Virginis & Matris Domini, translatus huc ab Aede vetustissima S. Musthiolæ in Agro Clusino posita: in qua etiamnum contra temporis iniurias eiusdem S. Musthiolæ conspicitur Imago depicta cum eodem Mariæ Annulo pẽdente. Cõseruatur autem

Ex primo Volum. in Prouincia Etruriæ.

tem, præter interruptam populi traditionem, inter publica Vniuersitatis Clusij scripta, memoria cum translationis prædictæ, tum furti ac subductionis factæ à quodam Fratre Vvintherio, qui Perusino Senatui, quanquam inuitus, ipsum largitus est. Atq; hic Annulus singulis annis in Cathedrali Ecclesia Perus. publicè colitur à maximo Ciuitatis & extraneorum populorum concursu. &c.

Iuliani Viuiani Pisani I.V.C. Proth.Ap.
Ad Deiparam Virginem & S.Ioseph.
Annulus.

ANnulus excelsis vobis sum missus ab Astris,
Numinis æterni miraq; signa fero.
Annulus annecto Triadem, Mentesq; supernas
Supremo Regi, cuncta creata simul.
In Natā, & Matrē, & Sponsam sanctissima Virgo
Te elegit, voluit, sumpsit & ipse Deus.
Annulus attestor donum mirabile Cæli,
Signantem digitis me retinebis ouans.
Decreuit Regis summi sapientia Ioseph
Custodem in Sponsum, Virgo Beata, Tibi.
Coniugis obsequium, cor vnum, spiritus vnus
Sit Vobis. dantem concelebrate Deum.

Beatiss. Virgo Maria.

I Cæleste decus, velox pete sydera, dices,
Ecce Ancilla Dei, quod iubet ille, sequor.

S. Ioseph.

ADdas: quid meruit, quo talia sumat Ioseph?
Diuina ò pietas! ò stupor altus! Amor.

De

DE BEATAE VIRGINIS Annulo.

AD VRBEM PERVSIAM I. A. V. C.

VErsicolor gemmis haud Annulus ardet Eois,
Virgineas potuit qui decuisse manus,
Numinis ad vocem quoties Perusia questa es?
Quod tibi vallatum Cor adamante foret.
Non sapis; at penitus tibi corda adamantina fiant,
Si Gemma innocuæ Virginis esse cupis.

Io. Baptistæ Lauro Per. V. C. Marcellus Iouanettus Ascu lanus I. V. C.

Romam.

SYntagma, quod nuper istic apud te delibaui, de Pronubo Virginis ANNVLO feliciter inchoatum, est nè adhuc ad vmbilicum perductum, mi Laure? Certè si tunc potuit vel particula integram mihi afferre voluptatem, quæ nunc superest, tamdiu retardata me torquet. Da igitur operam, ne aut præproperæ cupiditatis meæ, aut nimiæ

cun-

cunctationis tuæ pœnas pendam. Apud nos ex illius Annuli cultu, qui plurimus ſanè eſt, plurimũ ingenij tui fama percrebuit. Vidi ego multoties iſtic in Vaticanis Aedibus, atq; alibi, nec ſine admiratione vidi, cælatos quoſdam & expreſſos Phidiaco labore Annulos, & ex eorum orbibus conſurgere inſertos Palmæ ac Lauri ſurculos. Noui nunc demum, quid ſibi volunt. Nullum illuſtrius tuam gloriam præſagire poterat Hieroglyphycum. Iſte Annulus Virginei cõnubij caſtus index virtutum tuarum germina circumſepit ac fulcit, ex iſto Annulo tua Laurus laudum Palmis inſita, perpetuo virore frondes explicans, ad immortalitatem ſurgit. Tu mea hæc Epigrammata exiguum declaratura ingenium, ſed non exigua meæ venerationis argumenta cognoſce. Vale, meq; vt ſoles, ama. Aſculi.

CVncta Iouem, ſtructa numeroſo ex orbe catena,
Iam rapuiſſe ſibi ſæcla profana ferunt,
Vrbs Auguſta, magis Cælo tua gloria ſurgit,
[illegible] ec tibi dum Mariæ pronuba Gemma nitet.
Quod ſi etiam veris componere falſa liceret;
Illa ex Orbe Virum, hæc trahit Axe Deum.

CEde Pyrope, Adamas; concedat Iaspis, Achates,
Quæq; per Auroræ littora bacca micat.
Lumina gemmarum, concharum germina vincit,
Dum Mariæ digitos tortilis ornat Onyx.
Quid plura? en nunc ipsa Polo se Terra maritat;
Et Natura sacro fœdere iuncta Deo est.

EX LIBRO MONILIVM B. Virginis

QVINTILIO VANNICELLO Auctore.

Cum in cap. 6. satis de dextro & sinistro Annulo mystico disseruisset, demum in calce.

VERVS, inquit, & germanus Deiparæ Virginis ANNVLVS, quo eam S. Ioseph sibi matrimonio copulauit, PERVSIAE in Templo S. Laurentij, omnium primario, conspicitur; qui neque est aureus, neque argenteus, sed simplex veluti ex osse, coloris tamen varij atque translucidi, quique ad pietatem intuentes mirificè allicit. &c.

Cap. 6. Moniliũ libri Car. Bellarmino dicati.

Io-

Io. Baptistæ Lauro suo S. D. Ioannes Barclaius

Perusiam.

NAe tu homo à Gratijs planè fi-
ctus, mi Laure : qui tam aman-
ter ignota in Vrbe offers hospitalitios
Lares. Inuitat sanè anni amœnissimum
tempus , & Card. Barberini ad Spole-
tanam Ecclesiam suam molientis iter
profusissima humanitas.Peream,si,præ-
ter familiæ pietatem, queat aliud obij-
ci vestris arietibus : & aliòqui perdiu
est,cum ego Vmbriæ,Tusciæque regio-
nes animo metior , Perusinas Athenas
cũprimis inspecturus, quibus hæc Vrbs
meritò debet opsoniorum & sapientiæ
penum . Vocat & religiosi mercimonij
splendidus & elegans quæstus;Assisiatis
Herois cunabula,Angelorum Aedicula,
& Pronubus horum atque mortalium
omnium Dominæ ANNVLVS , quem
fama est apud Italos plus quingentis an
nis religiosè seruatum ; proximo verò
à superiore sæculo tam charam sacro-
sancti Matrimonij tesserã PERVSINIS
Vo-

Vobis operoſo conatu vindicatam, ex Ioanne de Carthagena didici. Is nũc Arcanorum ſuorum Volumen alterum inuulgat, teque, mi Laure, ſaluere iubet. Vale, Romæ.

Io: Matthæi Caryophili V. C.

Arrbabo connubij cum ſit certiſſimus Index,
Index Virgo tibi virginitatis erat.
Arrbæ notat ſponſos dominoſq; viroſq; futuros;
Te Sponſam ſponſo tradidit & dominam.
Quãta hæc arrba fuit? quãtũ alma Peruſia pignus
Seruat, & æterni pignus amoris habet?
Et græco dici Periuſiã nomine poſſet;
Reginæ ditat quam pretioſus Onyx.

Appendix ad Noctes Tuſculanas & Rauennates.

Eiuſdem.

παρθενίης σφρηγῖδα τόκος δακτύλιον μὲ θεῖος,
καὶ σφρηγῖδα γάμου δάκτυλος ἔσχε κόρης.
πάντων ἄκρος ὄλυμπος ὑπέρτατον ἅρπασε κόσμον
τὴν δ' ἑτέρην σῆχος κάλλιπεν αὐσονίη.
ὦ πόλις ὑψιθέμεθλε Περυσία, ἀνθιφορεῖσθυς
αἰθέρι δακτυλίῳ νυμφοχαρῆ Μαρίης.

PEruia Virginitas indemnis; peruia sponsæ
Arrha fuit, digitus cum sibi signa tulit.
Illum ardens rapuit, quo pulchrior esset Olympus;
Hanc decus Ausoniæ præsidiúmq; dedit.
Fortunata nimis præcelsa Perusia; tanto
Munere tu cœlis æmula semper eris.

Iuliano Viuiano Pisano Eccl. Pis. Decano, & Proepiscopo Tudertino, Io. Baptista Laurus Perusinus S. D.

Tuder.

TRes propemodum abierunt menses, cum meus de Annulo Mariæ Virginis datus est Typographo describendus Liber, & sena vix dum folia ex Taberna calcographica emersere. Dormitantes adeò operas non ego solum obiurgaui sæpius, qui metuam, ne istò versus ex improuiso cum Cardinali arripiendum sit iter: verum etiam Princeps Malettanus, sub cuius auspicijs adornata iam est, & in dies vrgetur editio, acriter increpauit. Sed scilicet contra sollennes recrastinatores sumitur inanis labor. Vbi iracundia satis incaluimus, blandior confestim ratio

ineunda eſt, quæ nobis illos mitiores reddat. & quos verbis acerbioribus caſtigaueramus, eos muneraria via nobis reconciliare neceſſe habemus Ceterum cum video, præter opinionem, hanc mihi ceſſationem non mediocriter fœnerare, dum interea lectiſſimorum ingeniorum lucubrationes in ſacrum Argumentum ad me deferuntur: poſſum illis libenter ignoſcere; imò, quod verè dictum inter nos ſit, habeo gratiam nō vulgarem. Præter enim quàm quod tuis elegantiſſimis Carminibus, Vir præſtantiſſime, ſum auctus; quæ vna cum alijs Clarorum Virorum in tempore leges excuſa, eruditiſſimus Thomas Dempſterus Bononia vſque arcana quæpiā de Annulo Pronubo ad nos miſſurus eſt; quod ex litteris ad V. Clariſs. Ferdinandum Carolum ſcriptis heri cū voluptate cognouimus, & Illuſtriſs. à Monte Vetere illinc proximè reuerſus confirmauit. Quarè amabiliſſimo Guazzaronio multum debeo, qui tibi ſcriptionis conſilium noſtræ indicauit: humanitati verò tuæ multò magis, qua me meaq; tanta comitate amantiſſimè amplecti conſueſti. Perge modò homini tui ſtudioſiſſimo in amore reſponde-

L 2 re,

re, qui obseruantia te iamdudum colit singulari. Vale, Romæ Postrid. Non. Aprilis MDCXXII.

De Annulo Beatissimæ Virginis Perusiæ sanctè ac religiosè asseruato.

VALENTINVS PASCHALIVS VTInensis Prot. Apost.

Non hic gemma nitet; nec Imago sculpta videtur;
Gemma & Imago tamen; si benè cernis; adest:
Virgo est gemma, tulit nobis quem Mater, Imago
Nam sine principio est, & sine fine Deus.

De eodem.

Non est Vrbs, sed cælestis Perusia Mundus;
Dum facta est Matris Dactylotheca Dei.

De eodem.

Annulus in terris, in Cælo sponsa moratur;
Tam distanti indi qui potuit digito?
Longos an nescis digitos Cælestibus esse?
Hanc Vrbem summo proximam & esse Polo?

De eodem.

Victor vt sedes adijt beatas
Natus, & dextram tenuit paternam,
Non tulit Matrem peragrare, & arctam
Ducere vitam.

Ferre nec longas hyemes, nec æstus:
Est tamen passus tria lustra labi,
Antè quàm gressus super astra Virgo
Dirigat alma.

Interim tanquam fidei Magistra
Grandia ignaræ [illegible] imenta Genti
Iecit, & totum celebres Athenas
Reddidit Orbem.

Hanc, vbi ad vitam redijt perennem,
Aliger sacris humeris Senatus
Intulit Cælo, Triadique sanctæ
Ritè dicauit.

Absit, vt quas incoluit verenda
Virgo, Terrarum meminisse nolit,
Atq; mortales miseros superna
Spernat ab arce;

ANNVLVM: sponsam sibi quo iugauit
Helides; nobis monumenta amoris
Liquit, & terras voluisse constat
Iungere Cælo.

Ex Libro Quarto Sacrorum Elæochryſmatωn.

Fr. Fortunati Scacchi Theologi Auguſtiniani.

NEc ſolum ad vaſa vnguentaria,verum etiam ad parandos Annulos veteres Orientales Onyche vtebantur, cuius rei plurima teſtimonia ex his,qui de Gemmis ſcripſerunt, afferri poſſent. Sufficiat tamē teſtis vnus pro omnibus, & omni quidem exceptione maior, Papinius noſter lib. 1. Siluar in Epithalam. Stellæ & Violanthillæ,eiuſdem Violant. Aedium ornamenta,ſuperboſque apparatus hiſce verſibus deſcribens.

Digna Deæ ſedes,nitidis nec ſordet ab Aſtris.
Hic Lybicus Phrygiuſq. ſilex; hic dura Laconum
Saxa virent,hic flexus Onyx, & concolor alto
Vena mari. &c.

Flexum dicit Onychem, quoniam in varia opera flectebatur,Domitius Commentator inquit. in vaſa nimirum potoria, pedes lectorum, ſellaſq; vt Ne-

pos

pos tradit. Quamobrem miraculo fuisse maximo affirmat, cum Pub. Lent. Spinter Amphoras ex eo, & Vrceos ostendit Cadorum magnitudine. At verius dictum putauerim, flexum Onychē à flexu eiusdem in Annulos; quem vsum, vbi cūcta antiquitatis testimonia decessent, B. VIRGINIS ANNVLVS, omnium antiquissimus, Perusiæ religiosè piéque asseruatus, sufficientissimè probasset, cuius ANNVLI Historiam. &c.

Ioanni Baptistæ Lauro V. C. Paulus Benius S.

Romam.

PRæclarè tu quidem facis, ornatissime Laure, qui me sic excitas ad scribendum, vt meas occupationes agnoscas & fatearis. Optassem tamen, vt præter occupationes, mei quoque ingenij tarditatem excusasses & senectutē. Quanquam sic me prouocas humanitate singulari, sic me allicis munusculo leporis elegantiæque plenissimo, vt tecum longior esse cogar, & epistolæ tuæ suauitatem saltem orationis longitudi-

ne compensare. Gaudeo sanè vehementer, quòd politioris literaturæ & eloquentiæ decus toto pectore amplectaris: hinc enim fiet, vt tuis Ciuibus industriam mirificè probes. Itaque dum in Iurisprudentiæ curriculo magna cũ laude versantur, erit quod tua quoque vestigia consectentur, vt priscis Iureconsultis euadant quàm simillimi. Tametsi illud tibi in primis gratulor, quòd in ista luce hominum degis ac gentium theatro, vbi Virtuti proposita sunt præmia: etsi enim spes fallit sæpè aliquos, aliqui etiam in medijs palæstræ istius spatijs concidunt, multi tamen, labore comite ac patientia, sed Virtute in primis, optatos referunt fructus. Quod vt tibi fœliciter accidat, & cupio & spero. Interim vtinam mihi liceret aliquid ad te vicissim ex lucubratiunculis nostris, vigilijsque transmittere, vt extaret tibi mutui argumentum amoris ac pignus. Sed cum ob viarum interualla nulla mihi se se in præsens offerat opportunitas, eam saltem auidissimè præstolabor. Iam verò tibi plurimum debeo, mi Laure, quòd Lucam Benium gentilem & cognatum meum tam bellè ornasti: vel potius suis vir-

virtutibus, Cæsarisq; testificatione Clarissimum illum quidem, sed situ & squalore penè obsitum, ne dicam temporis veterno iam planè obrutum, ex obliuione vindicasti, ac tuis pigmentis & luminibus in pristinum splendorem reuocasti. Perge igitur. Quot enim proceres ornas, imò verò quot epistolas scribis, tot tibi Laureas imponis. Quid plura? Quoties stylum assumis, siue soluta oratione scribas, siue carmine, toties Patriam, etsi alioquin Augustissimam, reddis Augustiorem; nunc præsertim, cum de B. MARIAE Virg. ANNVLO, quo Perusia alijs meritò Vrbibus debet anteferri, Commentarium, vti audio, concinnasti. Ede, obsecro te, quàm primum in lucem, nec, quid de eodem Benius meus indicauit, prætermitte. Vale Datum Patauij iij. Kal. Nouembris. MDCXXI.

Ex D. Felicis Benij Eugubini Can. S. Saluatoris Commentario in Elegiam Dauidis super obitu Saulis & Ionatæ, ad versiculum.

2. Reg. 1. *Filiæ Israel super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in delicijs, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro.*

DE Onyche, inquit, subcærulea non tacuerim, ipsam ab Hebræis eximiè cultam, quam Aaron in Rationali inter duodecim gemmas circumferre consueuerit: neque item de alba, quæ hodie Calcedonius vocatur. ex quibus aptissimè formabantur Annuli. Cum autem in lapide Onychino, vt auctores tradunt, nomen Ioseph inscriptum fuerit, ex hoc, puto, habemus ILLVM, quē sub ferreis cratibus inde à Sixto Quarto Perusini piè custodiunt, Iosephi ac Mariæ Nuptijs subarrhandis sanctissimè adhibitum. &c.

Abulens. in Exod. c. 28.

Fr.

Fr. Valerij Setæ Veronensis, Episcopi Alifani.

AEdem, quæ Christi dedit incunabula Matri,
Inter Picentes Laurea Sylua tenet.
Annulus Augusta Mariæ seruatur in Vrbe,
Mira Vmbri & Tusci quem pietate colunt.
Hunc pariter Lauri titulis gaudere decebat;
Ecce pia Lauri clauditur Historia.
Lauretum folijs circum sacra tecta coronat:
Annulus est scriptis, Laure, corona tuis.

Aliud.

LActeus hic Circus stellati est æmulus orbis;
Idem vtrique color, lucida vterque rota.
Est sedes & vterque Dei; miracula cælo,
Miracla omnipotens hoc Deus Orbe facit.
Luna fides, est Phœbus amor, quos Annulus ambos
Signat: defluuijs nec caret iste suis.
Miraris, digito Virgo quod gestet Olympum?
Ecce sinu immensum continet illa Deum.

Aliud.

ANnulus est, sancto Sponsæ quo fœdere Coniux
Se MARIAE iunxit. credite, vera fides.
Testis quæ longos tenet hunc Perusina per annos
Gens; quondam & testes Clusiadæ esse queunt.
Deest Gēma: at quæ terra ferat, quæue vnda lapillū
Dignum? Stella Poli gemmula sola decet.
Stellifer an nequeat Digiti Annulus esse Corona?
Bissenis Stellis cingitur ecce caput.

Ex

Ex Votiuo Peregrino Ioannis Gualterij Aretini, olim Neapolionis Comituli Peruſ. Antiſtitis Vicarii Gener. nuper Burgi S. Sepulchri Epiſcopi.

Thybridis Auguſti ad ripas vbi venimus, Aedes
Neapolione, tuas prætoria tecta, ſubimus;
In queis Gryphiadum populo me iura dediſſe
Et memini, et memori æternùm ſub corde tenebo.
Laurentij mox Templa vocant, vocat Annulus almæ
Virginis, æriſoni radians à fronte Sacelli.
Salue Stella Poli, Gemma inclyta, digna beatis
Hæſiſſe articulis MARIAE: da noſtra nitorem
De Annulo Epiſcopali. *Gemma bibat de fonte tuo. mea gemmea ſordet,*
Saxea nobilior longè eſt tua. Sed mea Burgo
Lapſa ſepulchrali tunc eſt mihi credita, cum me
Epiſcopus à Paulo V. creatus. *Cuſtodem ſacri Paulus dedit eſſe Sepulchri.*
Finibus Aſſyrijs venit tua, qua tibi quondam
Creditus eſt cuſtos Regum de ſtirpe Ioſephus:
Et per vos genitus, ſacro tradenda ſepulchro
Victima, ab ingenita laudandus origine Chriſtus.

Io: Bapt. Lauro Peruſ. V. C. Antonius de Montenigro Genuen. Theol. S.D.

De caligine anni 1473. Menſe Iulij de qua in pag. 49.

DE Aëris ſtatu & temperie ab adulto Iulio ad ineuntem Auguſtū Anni

ni 1473. pauca tibi, qui hæc optimè calles, præscripta volui: nempe ab Astrorũ radijs illam tam crassam & obscuram caliginem, de qua heri abs te dissertum est pluribus, non potuisse ortum ducere; sed à diuina mouente caussa fluxisse, vti tu quoque certis è Cælo petitis rationibus affirmas. ☽ enim, Cæli themate per vniuersum eorum dierum excursum accuratè inspecto, progreditur ab ☍ ☼, ipsa Luna ♑ signum lustrante, boreale, frigidum, siccum, terreum. Quocirca sicuti ☽ est, quæ propter diuersam signorum proprietatem, variam aëris temperiem efficit, & in signis aqueis, Australibus, & humidis caligines & nebulas excitat; ita serenitatem affert, discurrendo per signa opposita naturæ. vt ♑ Boreales ventos, serenitatis prodromos & Cæli euerricula vocatos, profert. Serenitati autem conueniens erat ☼ esse in præcedenti ☍ à ☽ receptum in ♋; quemadmodum etiam diametralis mutua receptio versabatur inter ♄ & Lunã. qui ♄ in eodẽ ♋ iũgebatur ☼ & ☿. Sicuti autẽ mẽse Iulio propè iã vertecis anni obseruatũ fuit, Saturnum in ♋, iunctum ☼, nimiã serenitatem effecisse: ita tunc temporis

ex

ex eadem naturali causa dicendum est idem promanasse: idq; eo magis, prænotata luminarium ☍ à qua totius illorum dierum status desumpto exordio, nō nulla repetam de ☽ via, & radijs cum ☉ & reliquis planetis, deque his inter se & Solem.

Cæli Thema tale erat. ☉ in ♌ igneæ triplicitatis, ipsius luminaris throno, ex △ Lunam illuminans in ♈. eiusdem naturæ & triplicitatis, versantem in Solis exaltatione: Luminaria verò amico se se adspectu intuentia, & in suis domibus existentia, numquam caligines excitare possunt. Accuratius autem obseruato Lunari cursu, ab eo semper serenitatis argumentum desumas. Ab ♈ petit ♉, in quo & sua exaltatio, signum Boreale, frigidum & siccum, adspicit ex ☍ ♃ serenitatis auctorem ex suo throno, necnon Saturnum in ♋ sub eiusdem ☽ dominio ⚹, item in △ Venerem in ♍ signo Boreali frigido & sicco, & Mercurium radio ⚹ in ipsomet ♋, iungiturque Stellæ Procyonis calidæ & siccæ naturæ ♂. qui ☿ aëris temperiem semper mouet, vt vicinior terræ & ☽, & nunquam à ☉ radijs, nec per ⚹ distans. Deinde tendit ad ♊ aëreum signum, copula-

laturque ♂ & Aldebaram: idcirco Lunæ corpus ſiccum,& calidum, ſerenitatẽ præſtat,& inde diſcurrendo per ♋,imperium inter Aſtra obtinet, & iunctũ ♄ & ☿ auget ſerenitatis effectum, vt ſuperius diximus, ex ✱ Venerem aſpiciens, △ Iouem. Luminarium copula celebratur in ♌ Solis regia, ſigno calidò & ſicco, quæ eſt à Martis ✱ radio illuſtrata, à ♃ □, & dũ ad Virg. pergit, eſt inſpecta à ♂ à ♄ Merc. & ♃, iungiturq. Veneri, ac tenuit illicò ♎ ſignũ aëreum in Tri. Martis,&fiebat propior Spicæ Virg. in ipſa eclyptica, quæ omnes ſerenitates ſemper elargitur,& orbem terrarum lætitijs mirum in modum irrigat. In ♏ autẽ Iouem reperit,& in ſua domo ♋ Saturnum ac Mercuriũ △ illuſtrat, Sextil. Venerem. Secunda item vice in ♐ Iouis contubernio cũ Solis & Lunæ Trino. ſuccedit iterum ignea & ſerena conſtitutio diametro accedente. Tandem per initia Auguſti, dum in ♑ locatur, Saturno & Mercurio opponitur, ex ✱ intuetur Iouẽ, Trino Venerẽ.& præter id, quod de Luna diſſertũ eſt,ad ceteros planetas deflecti oratio pôt. Inter Saturnũ & Venerem Sextil. eſt. inter ♄ & ♃ Trinus inter ♃ & ♀ Sextil. inter ♂ & ♀ □, quodque

que de ♄, idem dicendum de ☿. Ergò ex Astrorum decretis maxima serenitas tunc temporis indicabatur, nisi diuinior quædam ac sublimior caussa obstitisset, & pro serenitate crassam illam caliginē induxisset. Inter eas tamen nebulas, amantissime Laure, quibus denique fulgens B. Virginis ANNVLVS illuxit, magno scilicet Perusiæ vestræ bono, tuum mihi animum serenum ac fauentem serua. Vale in Vrbe Prid. Id. Decembris MDCXXI.

Sed non omiserim, Laure, quod olim Genua vsq. suscepta ad vestratem ANNVLVM peregrinatione, eidem donarij loco appendendum Elogium informaui. Lege, cense, & me ama.

ANNVLO MARIAE PRONVBO.

In Annulum Elogium.

QVi pacis inter Deum & hominem testis; humanæ Naturæ corona; cælestis Hierusalem decimus tertius lapis principem locum tenens; gloriæ magnes, Angelorum atque hominum turmas trahens; catena præpotentem Deum vinciens; populi Perusini æternæ inaugurationis character; in cuius gyro tutus sedens, cernit pro-

procul prælia, procul hostile vallum, irã Dei procul; ex quo mille pendent clypei, omnis armatura fortium. Quo vt MARIA IOSEPHO Sponso subarrhata, Dei Mater & Sponsa effecta est: ita PERVSIA Virgini ac Filio æternum iuncta est.

Antonius de Montenigro deuotionis monum. Pos.

Io: Baptista Laurus S.D. Ludouico Aragatio Politiano I.V.C.

HAbitus hodie inter nos sermo de Sepulchro, quod nefarius homo loco mouerat, visus amicissimi capitis quietos vexare Manes, ad sepulchrales Inscriptiones facilè traduxit colloquentes. Quarè post allatam de Vvintherio cui Perusini ANNVLVM B. Virginis acceptum referimus; petijsti illam ad te descriptam mitti, quæ narrat Annulum à nobili femina in Vrnam funebrem coniectum. Ego verò non in eo solum morem tibi gessi; sed etiam Clusinas veteres, quas quidem reperire potui, adie- In Commen. pag. 67.

 ci,

ci, Cæſari tuo gratificaturus, ea nimirum conditione, vt recentiores nobis illinc curet, ſi quis, ſi quas in D. Muſthiolæ aut Franciſci Templis, in quibus Deiparæ Annulus per quadringentos annos, antè quàm Peruſiam adferretur, delituerit. Quin nec omiſi veſtratem Columnam in qua Viæ Caſſiæ fit mentio, olim à Cluſinorum finibus Florentiam perducentis. Lege Ludouice amabiliſſime, & à Banderia meo plurimum ſalue. Ex Aedibus in Vrbe.

Venerem Aug. cum parergo. item Phyalam Argent. Aemil. Ruſt. F. item tabulam argent. M. Annius Celcitan. teſt. ſuo poſt mortem Aemiliæ Artemiſiæ vxori & hæredi ſuæ poni iuſs. Aemilia Artemiſia Tira. poſ. eademq; de ſuo Annulum aur. Gemma meliore.

Cluſii in Etruria

Imper. Cæſari. Septimio Seuero Pertinaci Aug. Pontif. Max. trib. poteſt. ij Imp. iiij. Coſ. ij. procoſ. PP. Ordo Cluſ.

Q. Sa-

Q. Sauius Q. F.
Arn. Clemens
Clusii euoc.
Aug.
A Quæstionibus

Imp. Cæsar
Diui Traiani
Parthici fil.
Diui Neruæ Nep.
Traianus Hadrianus
Aug. Pont. Max.
Trib. pot. vij. Cos. iij.
Viam Cassiam
Vetustate collabsam
A Clusinorum finibus
Florentiam perduxit
Millia passuum
XXCI.

Scholion ad Vitæ Historiam B. Virginis D. Constantini Caietani Abbatis-præsidentis Collegij Gregoriani Domus S. Benedicti in Vrbe.

MIror tam multos rerum Ecclesiasticarum scriptores, qui de

B. Virginis desponsatione multa congesserunt, tantum de sacerdotum deliberantiũ consilio, de Tribu ac Patria Ioseph, deq; reddita Parẽtibus Maria, qui eam, postquam desponsata fuit, domum reducerent, locutos fuisse; nihilque de traditione ANNVLI dixisse. Cum tamen sponsalis Annuli vsum valdè apud Hebræos frequentem fuisse constet, eũque Arrhæ nomine à sponso, cùm nuptiæ sponderentur, dari solitum. Nam Græcorum in eo consuetudinem quis ignorat? cum in Indice eorum, quæ in Euchologio continentur, legamus 18. caput hoc præcipuè inscriptum titulo. Officium de sponsalibus, in quibus dantur Arrhæ à sacerdote Coniugibus, nempe Annulus. Verum tacuerint licet hoc Mariani scriptores; citra controuernam videtur, illum Perusiæ in Templo Sancti Laurentij, quæ est Cathedralis Basilica, magna religione seruari, raroque nec nisi maximo apparatu publicè ostendi: & gratulor. &c.

Euchologij Græcorum c. 18.

In

In ſacri Annuli Deiparæ Virginis Hiſtoriam per D. Io. Baptiſtam Laurum V. C. Io. Baptiſtæ Guazzaronij Tudertis Epigramma.

Circulus ætherei teſtiſq; & conſcius olim
Connubij, & MARIAE dignus adiſſe manus;
Quo Perusina nitet Laurenti Eccleſia Diui,
Quem colit hoc vno Terra beata magis:
Quoq; piæ, vt videant, & adorent undiq; gentes
Confugiunt, populum vix capiente loco:
Vt ſit in hanc Vrbem varijs translatus ab oris;
Vndè pijs creſcat cum pietate fides;
Scilicet hæc LAVRVS Laurenti munera Templo
Addidit, exigua magnus in Hiſtoria,

In eundem eiuſdem Elegia.

Virginis exuuias, partitaq; pignora Mundo
Sacra, alij fidibus, carminibuſq; ferant.
Docta maritali iactet ſe Feiſina vitta,
Panniculo tellus Parthenopæa ſuo.
Virgineos, humileſq; lares, magalia quondam,
Lauretum & MARIAE iactet habere caſam.
Efferat hinc Latium, et Fabaris quam nominat Ædẽ
Crebra puerperijs Clauis adeſſe pijs.
Balteus Etruſcum vehat & Florentia Pratum,
Zona ſalutiparum cingere ſueta latus

Sicelidenq; sonent, & multa lampade lustrent
Zanclam, candidula scripta notata manu.
Indè Perusinam ditet sacer ANNVLVS Vrbem,
Quem notet ingenijs fertilis ora suis,
Non hæc; Laure, canis, quamuis te sæpè canentem,
Et stupet, & gremio Roma superba fouet:
Suspicit Arctoùm populus, miratur & Auster
Carmina, & Eois, Hesperijsq; places:
Seu grauiore tuba referas Heroas ad astra,
Quàm tonat Andini Vatis eburna chelis:
Seu leuiore lyra, Nasonis & æmula Flacci
Musa tuo æthereas carmine pandit opes.
At iuuat ire pedes, longoq; per aëra tractu
Nunc terras numero liberiore beas.
Nec satis est Latiæ reserasse Volumina linguæ,
Queis tumet Arpini gloria prisca senis.
Sed numeris res ipsa nitet: Quid culta moraris
Scripta dare, vndè Aulis norma petita datur?
Quid iuuat alternis inarata morarier orsis
Sensa, vbi nunc Hominum laus sua cuiq; sonat?
Ast aliò me, Laure, trahis, cunctando: Quid autem
Delitet in pluteis ANNVLVS ille tuis?
Exere, quæ Historico, quondam, penetralia ritu
Abdita, Christigenæ sacra Parentis habes,
Exere gemmeoli, primaque ab origine pande
Orbiculi, Historias exere, Laure, tuas.
Non iniusta peto, non vlli ingrata, nec aurea
Virgo opus, & laudes abnuit ipsa suas,
Laurus amat Daphnen, Laurum formosus Apollo;
Qui dat honoratis Laurea serta comis. (Laurū;
Virginem amet quoq; Laurus amat Virgo aurea
Et, Laureta colens, astra, polosq; tenet.
Te quoq, sic eadem non tantum fronde caduca
Donet, & æternum det super Astra decus.

D. Io:

D. Io: Bapt. Lauro Perusino Sacr. Theol. Doct. Thadæus Donnola I. V. C. Ispellas.

IN Amicorum congressu, qui frequens solet contingere in Aede B. Virginis supra Mineruam, nuper sermo incidit de eiusdem Virginis Annulo Pronubo, seu sponsali, qui Perusiæ in principe Ecclesia sancti Laurentij, vt probè nosti, custodiri, atq; obseruari agnoscitur. Inde duo roganti amico, quid nimirum habuit argumenti, aut rationis, quamobrem Annulus non ex Auro, sed ex simplici lapillo, antiquo artificio factus, visitur: Alterum an in Digito, qui minimo proximus est sinistræ manus, vt assolet, à Virgine acceptus fuerit, & cur eo in Digito magis. Cumq; ex tempore vix quidem verbum appositè redditum fuerit; Tum sanè, Laure eruditissimè præsentiæ tuæ cupiditate flagraui, qui isthæc omnia optimè calles. Ex quo ego domum repetens, statui amici eius causa de vtroq; quoad possem,

cognoſcere,&ad te primum ſententiam meam tanquam ad arbitrum mittere, & num probaueris, vel reſpueris, præſtolari. Igitur quod ad primum attinet, cum multiplex afferri valeat cauſa; illa tamen mihi continuò occurrit, eãq; potiſſimam exiſtimaui, nempe Beatiſſimam Virginem nunquam Aurum, quæ res planè ſummæ religionis, ac ſanctimoniæ excellentiam præſefert, attingere, ne dum geſtare voluiſſe; ob idque eo Annulo, quem ex puro lapillo Cyano, vulgò Lazuli lapide extare crediderim, etſi caligine quadam ob ætatem opinor, nunc obducto, Ioſeph viro innocentiſſimo ex eadem Regia ſancti Dauidis ſtirpe, ac Tribu, qua & ipſa Virgo, maluiſſe deſponſari, mea fert opinio: Non quidem vt amic[illegible]s alter tum ſuſpicari viſus eſt, quia [illegible] tẽpore nulli fuerint Annuli Aurei; [illegible] veteres Hæbræi Iliacis temporibus illos haud habuerint, vt perperam ſcripſiſſe Plinium & Appianum, non diſſimulat Polidorus lib. 2. de rerum Inuentoribus; & liquet ex veteris ſacræ ſcripturæ libris. Verũ quòd B. Virgo virtutũ ſplendore longè fulgentiſſima non ſolum in omnibus primas ferret, & exemplar ſanctiſſimum,
admi-

admirandumq; suspiceretur; sed etiam quod aurum ad perniciem vitæ repertum auidis exitio mortalibus foret, cuius habendi tanta homines libido iam inde ab initio inuasit, itum est enim in in viscera Terræ iam iã ad inferos propemodum penetrando, vt diuinus ille Plato, qui CCCL. & vltra annos Virginem antecessit (nam Artaxerse Ocho Persarum Monarcha vixit, vt patet ex priori parte Chronologiæ magni Ecclesiæ Patris Roberti Cardinalis Bellarmini) suis legibus & Aurum, & Argentum Ciuitate exegerit, velut summi materiam mali, quæque animos mortaliũ ad nepharia perpetranda incitare posset; Vnde pulchrum illud Vatis, *Aurum irrepertum, & sic melius situm cum Terra celat*; aliaque sapientium ita perbellè dicta fortiterque facta, vt ipsa Virgo facilè omnium fortissima, sapientissimaque suo tanto exemplo ab Auro planè omnes absterruerit, vel Christo Domino perspicuè dicente, *Nolite possidere Aurum, neque Argentum, &c.* Matth. 10. Quod Virginis illustre rectissimumque facinus augustiorem sanè demonstrat eiusdem sacram, atque inuiolatam Desponsationem ab Ecclesia

Catho-

Catholica quandoque ex Pontificiâ Constitutione iure optimo speciali veneratione, lætissimaque festiuitate celebrandam.

De altero verò, si Nuptiarum antiqui Ritus tam apud Hebræos, quàm Græcos, & Romanos obseruentur, receptum est, non tantũ dexteras manus vtrinque coniungi; verum etiam in digitum puellæ Annulum, quo pignore mutua dilectione corda iungantur, inseri consueuisse. Quarto autem digito sinistræ manus, qui & Annularis, & Digitus fidei, & Medicus nuncupatur, Annulus inseritur, illa, vt fertur, ratione; quod ab eo digito quidam arteriæ ductus ad cordis ima penetret, seu neruus tenuissimus, aut vena sanguinis ad Cor pergat, atq; perueniat, vt tradunt Aul. Gellius, Macrobius, Plinius, alijq; permulti, & est Canon apud Gratian. in c. fœminæ xxx. q. v. in fine, ex S. Isidoro Episcopo Hispalense lib. 2. de off. c. 15. Quæ quidem ratio quod nequaquam videretur congruere cum Annulo, qui datur Episcopo; nonnulli diu hæsitarunt; qualis Digitus Episcopali Annulo foret exornandus. Cæterum dubitationem egregiè sustulit Io: Stephanus

Du-

Durantes Præses Tholosanus in lib. 2. de Ritibus Ecclesiæ Catholicæ cap. 9. num. 37. vbi institutum testatur, Episcopos Annulum gestare in Indice manus Dexteræ, tum Hebræorum exemplo; tū quod digitus Index salutaris dicitur, alijsque rationibus, quas pulchrè affert subiicitque plura de Annulo obseruatione digna. Annuli verò vsum Ioannes Nauclerus in Chronicis generatione xiij. Prometheo Iapeti filio tribuit, dū inquit, *vsum præterea annuli, sed ferrei Prometheus inuenit, quem quarto digito in honorem cordialis venæ portari iussit*; moxque paucis interiectis subdit, *Tempore procedente apud Romanos Isidoro teste, statutum emanauit, vt Liberti, Ciuesque Aureo vterentur Annulo, libertini Argenteo, & serui ferreo; attamen vt visum est, Iudas Annulo vsus est, nec verisimile, quod ab illo habuerit*. Ita Nauclerus. Deque Annulo Matrimoniali, eiusque requisitis plura item scribit eruditissimus iuris Pontificij interpres Gulielmus de Benedictis in repetitione cap. Rainutius de Testamentis par. 2. in verb. cuidam Petro tradiderunt num. 76. 80. & 83.

Porrò & de sponsali Annulo alia ex

alijs ſcripſit Cardinalis Baronius in primo Tomo Annalium Eccl. ad Annum Chriſti Domini LVII.cap.45. præcipuè ex Clemente Alexandrino inter Patres ſcriptore antiquiſſimo circiter Annum eiuſdem Domini CC. quæ, quod ante dictis admodum conferant; & eruditionis habeant plurimum, ſicut nequaquã prætermittenda duxi, ita exſcribere haud piguit, ratus amico oblectationi futura.

His viſis, ait Baronius, reliquũ eſſe videtur, vt aliquid dicamus de ſpõſali Annulo: Nam teſtatur Clemens Alexandrinus, conſueuiſſe Chriſtianas mulieres Annulos Aureos geſtare. Dari verò eos ſolitos à Sponſis Arrhæ nomine, vſus docet; Quod autẽ non tãtũ in Nuptijs cõtrahẽdis, ſed in qualibet pactione loco arrhæ Annulus traderetur, teſtatur Plinius dum ait. *Celebrior Annuli vſus cum fœnore cœpiſſe debet, argumento eſt conſuetudo vulgi tracta ab eo tempore, quo non dum erat arrha velocior, vt plane affirmare poſſimus nummos ante apud Nos, mox cœpiſſe Annulos*. Porrò quod eſt obſeruatione dignum, non tantum olim apud Romanos; ſed antiquiſſimos Hebræorum dari ſolitum Annu-

lum

lum loco arrhæ; exemplum Iudæ admonet; de quo hæc leguntur in Genesi. *Dixit Thamar, patiar quid vis, si dederis mihi arrhabonē, donec mittas, quod polliceris; ait Iudas, quid vis pro arrhabone dari? respondit Annulum tuum*. Ex huiusmodi igitur vsu fluxisse videtur, vt cum spondentur Nuptiæ, sponsus loco arrhæ, sponsæ dat Annulum. Obseruatum ab antiquis ait Plinius, & adhuc suo tempore apud Romanos in vsu fuisse tradit, vt cum matrimonium constitueretur, sponsus ad sponsam mitteret Annulum ferreum secundum morem pristinum, cum ob Auri inopiam Romani, vt tradit, Annulum gestarent ferreum. Quod vero semel loco arrhæ datus Annulus ab vxore semper in digito gestaretur, id nō *ornatus causa*, inquit Clemens Alexandrinus; *sed vt obsignaret eodem Annulo, quæ domi sunt*; Custodiam enim rerum domesticarum ad vxorem spectare, pluribus docet Xenophon in Oeconomico. Obsignari solitas penuarias arcas, ne surriperentur à seruis, Plinius indicat, sic dicens ibidem. *Quæ fuit illa priscorum vita, qualis innocentia, in qua nihil signabatur; At nunc cibi quo-*

que & potus Annulo vindicantur à rapina, hoc profecerunt Mancipiorum legiones, & in domo turba externa.
Quo nam verò signo Christianorũ Annuli sculpendi essent, idem Clemens Alexandrinus admonet his verbis. *Sint Nobis signacula Columba, Piscis, vel Nauis, quæ celeri cursu à vento fertur, vel Lyra musica, quâ vsus est Polycrates vel Anchora, quam insculpebat Seleucus & si sit piscans aliquis: meminerit Apostoli, & puerorum, qui ex aqua extrahuntur: Neque Idolorum sunt imprimendæ facies, quibus vel solum attendere prohibitum est; sed nec ensis vel arcus ijs, qui pacem prosequuntur; nec poculi ijs, qui sunt moderati, & temperantes.*] Verum apud Christianos antiquus obtinuit vsus, vt sponsalis Annulus signo fidei, quod est Hieroglyphicum mutui fœderis, atque concordiæ sculperetur. Id enim præseferunt cõiunctę simul dexteræ; Nec tantum apud Christianos, sed Iudęos, Romanos, aliasque cõplures barbaras etiam nationes; porrectione enim Dexteræ fidem spondere solitam, antiquitus obseruatum esse certum est. Coniunctione autẽ manuũ simul, ex qua efficitur numerus denarius, qui prima

qua-

quadratura à Pythagora dicebatur, perfectam animorũ consensionem symbolo quodam significari traditum est. Apte igitur eiusmodi signo Annulos sponsales insculpi debere, pietas Christiana, monstrauit, vsusq; probauit; addiditque & Sacerdotalem benedictionem. Nam omnia nostra in nomine Domini esse facienda, Apostolus admonet. Atque hæc satis de Ecclesiasticis Ritibus Nuptiarum. Hactenus Baronius ex Clemente, & alijs.

Memini quoque in eodem congressu Amicum alterum eius fuisse opinionis, vt verbum Annulus vnico, n, scriberetur; At ego respondi Pratæum I.C. docere dupplici, n, ex Varrone scribendum esse; quod aliorum maiori suffragio probatum est.

Postremo memoratæ fuerunt dissidẽtes sententiæ tum de ætate sancti Ioseph agentis annum fortassis octogesimum, vt scribit S. Ephiphanius in lib. contra Hæreses, cum Virgo illi desponta est; Tum de voto ipsius Virginis; An videlicet: Virgo sanctissima voto nuncupato simpliciter, aut sub conditione, si Deo placeret, perpetuam Virginitatem Domino consecrauerit, antequam fuerit

despon-

desponsata; An verò postea, ipso Virginali sponso Ioseph assentiente, vt complures cum D. Thoma 3. par. q.28.art. 4.sentire videntur. Atqui ne multis, ad Theologos, & ad te speciatim, Laure doctissime, hanc lubens defero prouinciam: scriptionem tamen huiusmodi, vt v t ea est, tuæ censuræ subiectam volui; vt acri tuo iudicio, & prudentia expendas, & corrigas; aut pro tuo iure in totum etiam abroges. Vale. in Vrbe.

Eiusdem Thadæi Donnolæ Tetrasticon ad Augustam Perusiam.

Exere victrices Augusta Perusia Lauros,
Exere in Etruscis celsius vna caput.
Virginis asseruas Gemmam, te Gemma coronat,
Atque alias inter Tu mage sole micas.

Ex Vitis Illustrium Pictorum Georgij Vasarij.

Lib.2: PEtrus Perusinus in Ecclesia S. Laurentij suæ Patriæ Cathedrali in Sacello,

cello, in quo Euchariſtia ſeruatur, & collocatus eſt ANNVLVS, quo B. VIRGO deſponſata fuit, totum Nuptiarum apparatum eiuſdem Virginis penicillo & coloribus elegantiſſimè expreſſit. Idem refert Raphael Borghinus lib. 3.

Picturam huic geminam in D. Franciſci apud Tiphernates edidit huius diſcipulus Raphael Vrbinas, &c.

Io: Baptiſta Laurus S. D. Fabio Montemelino Decemuirùm Primo

Peruſiam.

MIrum in modum lucubrationi de ANNVLO à me proximè inchoatæ, per initia à te ſuſcepti Magiſtratus gratulatus erã. Propterea quòd inter XViros Vrbis noſtræ princeps, & litterariæ Reipub. iampridem candidatus, deque Patria ſemper optimè meritus, noſtri denique ſtudioſiſſimus, iuuare plurimum conatus meos poſſes. Verum dum de Nuptiali illa Teſſera ad te litteras concipio, me miſerum! de tua domi fracta, & de ſublata è viuis

compare triſtiſſimum nuncium accipio. Quarè ominoſum eſt viſum de gemma Pronuba, quæ te ad mœrorem reuocaret, longiorem inſtituere ſermonem. Habuero ſatis innuiſſe, te nobis rem gratiſſimam facturum, ſi è Peruſinis Tabularijs Innocentij VIII. & Alexandri VI. Pontificiæ de ANNVLO eruantur litteræ, earumq; ad nos exempla transmittantur. Nec verò te hoc quærendi labore in præſens oneraſſem, ſi ei ſcriptioni adieciſſem animum, vel cùm Io: Paulus Frater meus inter XViros ſuperiore Anno adlectus eſt, vel cū Chriſtophorus Patruus Prouinciæ apud Siluiū Sabellū primò, mox apud Bonifaciū Beuilaquā Cardd. Legatos erat ab epiſtolis. Indicabis etiam, eccuius Pontificis Signum illud ſit, quod ornat parietes Laurentianos, nimirum ad latus marmorei ſuggeſti editiſſimè ſitum: nam quod infra conſpicitur, Iulij III. eſt. illud nonnulli Innocentij VIII. plures Nicolai Quinti malunt. Te autem Vir eximie, tam moderatè tuliſſe domeſticam iacturam mihi perſuadeo; quàm Romanus Sapiens tuis iam fortaſſis auribus inſuſurrauit: Poſſe te Vxorem aliam bonam, vel ſi feceras, facere; vel ſi inueneras,

Seneca.

ras,

ras,inuenire . Benè vale, & mutuò nos ama. Romæ.

Sed heus tu! quæ nunc mihi præter opinionem adferuntur litteræ gaudiorũ plenæ! Libet exclamare, Euangelia. Nec .n. diffracta tibi coniugalis nota, quod falsus dissiparat rumor;sed viuit, valetq; Coniux, quod familiæ tuæ diutissimè voueo. Iuuat ex eo læta ominari;te in Pronuba illa iuxta mecum illustranda fore multò diligentiorem. Effice Vir officiosissime, et tua sedulitas operi imponat meo plausibilem catastrophen. Itérum Vale.

Fragmentum Epistolæ Andreæ Baiani ad D. Rodericum à Cugna Antistitem Portugallensem.

QVoniam verò per Lusiadum Camœnij nostri rithmos latino à me carmine redditos patefacta mihi est ad te ianua, ingenuè recipio, nullam prætermissurum occasionem, qua vel leuiculo meo te munere non agnoscam. Dum ergò rem tandiu à

Legitur præfixa Poëmatũ Lusiadũm.

Nostratibus,& à te maximè expetitam non expedio: incidentia aliena & mea (sumus enim in Vrbe,vbi quotidie & in dies ex eruditionis varietate, & ingeniorum propè diuina fœcundia plures in lucem fasti prodeunt)argumenta obtrudam. Arrepta nuper menstrua Lauretanæ peregrinationis via,locis omnibus antiquitate & religione venerabilibus pijsq;obitis,vt testis oculatus,Itinerarium Elegiacis versibus contexui: multa equidem vidi, & annotaui. At verò quòd non minus pietatis, & solatij, aut quid nescio & plusculum suauitatis menti ingerit, planè est ANNVLVS NVPTIALIS, qui Perusiæ in Vrbe Augusta cum omni veneratione colitur,& exterorum insuper addito stupore inuisitur. cuius postea. &c.

Ioanni Baptistæ Lauro V.C. Iulianus Castaneaceus S. D.

Romam.

ABfui quattuor menses in Calabros profectus:reuersus sum hebdomada superiore. Statim Christophori Lau

ri Patrui tui Epitaphium curaui descri
bendum, in quo hominem in Melitensi
itinere, difficillimo contracto morbo,
sexagenario maiorem, verè dixi, igno-
bilem pagum sua sepultura illustrasse.
Habe & exemplum Epistolæ Marianæ,
quòd mitti sibi Alexander cupiebat:
Adieci Claror. Virorum Societatis Ie-
su Epigrãm ata aliquot in Annulũ Spon
salem, quẽ Perusini nostri arctissimè fo-
uent; cuius Historiam à tè fusè latina
oratione explicatam (exemplum auidis-
simè expecto) nuperrimè Episcopus Sy
racusanus, vtriusque nostrum amantis-
simus, mihi significauit. O si quis huc
transmittat Aurelij Vrsij duo volumi-
na cum tota illa cohorte nostrorum In-
sensatorum? In his tu ac Contulus era
tis, & egomet Cardinali Pio opus Peru
siæ nuncupaui. Pecuniarum quantum e-
rogabitur, istic Io. Paulus Gellius Biblio
pola renumerabit. Da operam, si potes.
Epistola B. Virg. sic habet, quæ nos fe-
lices perpetuò seruet. Ex Vrbe Messana
Kal. Octob.

BEATA VIRGO IOACHIMI FILIA Dei humillima Iesu Christi Crucifixi Mater, ex Tribu Iuda stirpe Dauid,

Messanensibus omnibus salutem & Patris benedictionem.

Vos omnes, fide magna, Legatos, & Nuncios per publicum documentum ad nos venisse constat, Filium nostrum Deigenitum Deum, & hominem esse fatemini, & in Cælum post suam resurrectionem, ascendisse, Pauli Apostoli prædicatione mediante, viam veritatis agnoscentes. Ob quod vos & ipsam Ciuitatem benedicimus, & eius perpetuam protectricem nos esse volumus. Ann. Filij nostri 42. iij. Non. Iunij, Luna 27. feria 5. Ex Hierosolymis.

MARIA, quæ supra, hoc chirographum approbauit.

De Annulo Beatæ Virginis, qui Perusiæ seruatur.

Leuior, & nullo croceus nitet Annulus auro,
Olim Virgineæ quem tetigere manus:
Seu quia labe fuit nunquam vita aspera Diuæ,
Siue quòd externas indiga fugit opes.
Talis & Vrbs custos pretiosi pignoris, Orbem
Fama imples, meritis nec superanda venis.
Non vnquam sensit Perusinam bellica labem

Gloria

Gloria. non alias docta reposcit opes.
At maior superat Pietas; quod muneris auctor
Ciuibus est Virgo fœdere iuncta tuis.

De Eodem.

VIctor io. vicit iam Cælum Virgo; tenetur
Virgineo vinctus pectore præda Deus.
Qui sacra Virginei sanxit connubia amoris
Annulus, hic potuit nectere vincla Deo.
Virgo erat, inuictum quæ vinceret vna Tonantem,
Tu, qui vincires, Annulus vnus eras.

De eodem ad Io: Bapt. Laurum

QVam benè desponsa est Augusta Perusia Cælo!
Quæ nitidum superi pignus amoris habet.
Annulus at Mariæ est de Virginitate refulgens:
Virgineos Cælo seruet vt illa toros.
Quis tamen huic tædas mereat præferre Maritæ?
Hæc sunt eloquij munera, Laure, tui.
Vt vetus arcanum terrarum in luce patescat,
Doctrinæ reseras, ingenijque facem.
Pronuba virginitas hæc si connubia sanxit:
Ipse tua cinctus Lauru Hymenæus eris.

Ad Vraniam.

O Quæ Stellifero clarum deducis ab Axe
Nomen, & incedis signa per alta Poli:
Dum spectas vario redeuntia sæcula gyro,

Atque Ariadnææ serta corusca comæ :
Adspice, in Augustis qui fulgurat Annulus oris:
Hunc etiam prudens Orbibus adde tuis.

De Annulo Arbusculæ suspenso, à quo sacrilegij veniam Vvintherius deprecatus est.

VT primum suspensus Onyx è fronde pependit,
Arboreum & tetigit candida Gemma librum:
Crediderim subitò conuersum germen in auram,
Et veteres plantam deposuisse comas:
Non faceret, vena vsqueadeò cæl estis origo,
Fluxerit è digitis quæ, pia Virgo, tuis?

Ad Io: Baptistam Laurum Perusinum V. C.

CVm foret in palmã versus pala Annulus aurea,
Dicitur haud vlli cognitus esse Gyges :
At tibi dum canitur Mariæ sacer Annulus, erras
Cognitus emerita laude per ora virum ;
Hic etenim æterna tecum connubia Famæ
Firmat; ita ignoti nominis vmbra fugit:
Nulla igitur Famæ diuortia, LAVRE, timebis;
Nam tecum æterna iungitur illa Fide.

Hic-

Hieronymo de Oddis Vtr. Signat: Referendario Io: Baptiſta Laurus S.D.

In Vaticanum.

VIn' fatear ? Vir ornatiſſime. ex quo deſiuimus ventitare ad vos in Vaticanum, maiore Aula in Quirinalem translata; odi propemodum hunc ſeceſſum, qui, occupationibus ita exigentibus, à nobis ferè quotidie adeundus eſt. Interea dulciſſimo congreſſu tuo carere cogor, nec ſubindè officij cauſſa conuenire licet humaniſſimum ac religioſiſſimum Principem Robertum Cardin. Bellarminum tuum, cuius mihi beneuolentiam tua iampridem apud ipſum tum auctoritas, tum gratia conciliauit. Enimuerò, quod liberè inter nos dixerim, nolim diutius iſtam ſedem, inſalubrem adeò locum per æſtiuas ferias à te, aut à quoquam coli (ſcis Anſidæo noſtro exitialem fuiſſe) ab Illuſtriſſimo Bellarmino multò minus, quē ſaluum & incolumem Chriſtiana Reſpub. æternùm velit. Cui Hiſtoriolam

de

de Pronubo Mariæ ANNVLO; quo Perusini, singulari Cælitum beneficio, iurè gloriamur, à me tumultuario, & erepto è medijs Aulæ turbis ac fumis otio, confectum, valdè, vt affirmas, placuisse (etsi video facilè posse hoc tribui testimonio vocis tuæ, quo me semper ornas) auspicatissimi ominis instar habui.. Vt enim inter honorifica retulerim; quæ Vir tantus non improbarit: quantum ponderis ac dignitatis ijs accessurum scriptis putem, quibus candidissimi ingenij Princeps candidum vltrò calculum apposuerit? Quandò igitur te plurimum commendante, hominis vobis deuinctissimi industriam Heros in omni doctrinarum genere incōparabilis non reiecit, & suapte testificatione pietatem aduersus cæleste donarium illud, ex æquissima, multò reddidit æquiorem; age, ad discutiendum æstuantium dierum tædium (caue prolixam Epistolam vnica lectione continenter deuores) hanc quoque veluti Commentarij appendiculam, si videbitur, eidē de scripto recita. Nā Virorū doctissimorū (ea post, certo cōsilio, etsi nō oīa, hāc Epistolam anteire iussa sūt, cum excreuisset in magnum modum)

Te-

Teſtimonia & Elogia, contexto quaſi ſerto, pro coronide, ſiue auctario ad librum, aut pro pala ad Annulum hic expoſui. Expecto in id & alios aliorũ fœtus, qui lyras & plectra iam expediũt, auditurus & tu Vir humaniſſime, græcè, latinè, etruſcè modulatas cantiones; quarũ iam nunc iucũda præſumptio faciet, quæ ſubiecero, longè iucundiora.

Gaudeo equidem rem compluribus ignotam, & incuria temporum neglectam, in poſterorum animis fore per nos aliquantò notiorem: qui perſæpè viri Principis querelam vſurpauimus; indignum videri, Quòd Therſites, Buſiris, Nero, aliàque mortalium portenta tantum famæ ac celebritatis in omnium memoria ſæculorum obtinuerint; contra, ſuffragijs hominum & prædicatione digniſſima diu in obſcuro iacuiſſe, in quibus exornandis vel vulgarium ingeniorum induſtria laudabiliter deſudaſſet. Sed nec, quia nobiliſſimo argumento haud ita pro dignitate fuerim calamũ admolitus, me noſtrorum præiudicijs ciuium, vel emunctioris cuiuſpiam cẽſura damnatum iri arbitror: aut ſi damner vtique, non tanti eſt decretum improbum ſcribentium nihil. Hoc

au-

autem verè affirmauerim, expressum à nobis syntagma illud iugi labore, in magna obliuione rerum, & negligentia maiorum. Porrò ecquid in eam me sententiam impulerit, vt à tam præclara materia situm excuterem, & interpolatam memoriam perpetuò scripto duxerim persanandam, vsquedum medicas manus hisce antiquitatis cicatricibus felicior admoueat Machaon; non multis accipe.

Inuitaram per litteras Perusiam annis superioribus, Aestate ineunte, Rob. Bellarmini tui multò studiosissimum, & valdè amantem mei, Ioannem Barclaium; qui tamen caussatus familiæ incommoda, recusauit inuitus, cum miram visendi Perusini ANNVLI cupiditatem ostendisset. Ad Vrbem reuersus, nihil habui antiquius, quàm vt ad ipsum, hoc est, ad modestiæ atque eruditionis exemplar, me conferrem. Continuò de Annulo institutus sermo. Vbi audiuit de silentio nostratium. Itàne? inquit, de tam specioso argumento Camenus, Ansidæus, Cardanetus verbum nullum? hunc enim scio eloquentem virum Manutio ac Mureto fuisse acceptissimum: prioris nomen quæpiam in

Am-

Amphitheatro ſapientiæ Socraticæ indicarunt: alter à Piſana conditione Vaticanæ Bibliothecæ à Paulo V. præfectus eſt. Enimuerò ſi veſtratibus honori datur, || plurimum facere,minimum de ſe loqui; at ſacris de rebus, deque præſtantiſſimo Virginis Deiparæ Anathemate ſilere, nimiſquam abſurdum eſt; idque penè in ſacrilegij confinio poſuerim. Vides Carthagenam noſtrum,natione Hiſpanũ, affectu Peruſinum (ſubindè paginas aliquot Voluminis ſecundi Homiliarum euoluit) qui de veſtro Sponſali Annulo meminit. nec ignoras, quæ Gianius, Scacchius, Caietanus, Ferrarius, Benius,alij de eodem ſcripta reliquere.

||Leo Sanctius Senen.in Orationibus Peruſiæ habitis ann. 1609. & 1610.

Quamobrem autẽ præclarius de Patria veſtra exteri,quàm indigenæ mereri dicantur? Et vos quidem rem ab omnibus anxiè expetitam putem (ac dabitis verbo veniam) non magnifacere & inſignem iniuriam veſtris maioribus irrogari, qui periculoſa adeò alea, pro eo ſibi vindicando, cum Senenſibus decertarunt. Phyrne,vt à Praxitele,quod haberet pulcherrimum, extorqueret, ſubmiſit, qui obiecta falſi incendij narratione, ipſum perterrefaceret. Furto fuit

fuit opus, vt Clusinis doleret, & fuisse optimum, quod amiserant, vt agnoscerent: quod nunc Perusini perfrigidè videmini æstimare: dum in amoris ac pietatis alimentum de tam splendido Virginis Xenio minus sæpè (dicâmne?) cogitatis, loquimini parum, scribitis nihil. Quin tu id oneris, mi Laure, quandoquidem potes, audacter subi; & patere legi tuum in plausibili argumento nomen, quod publici fauores benignè excepturi sunt.

Quid quæris? hæc à capite nostri amantissimo efficaciter disserta, facilè, quo prolabebar, impulere. Ab eo digressus Bibliothecam domi cœpi excutere, pluteos omnes, omnes forulos subuertere, vt, quæ olim Adolescens animo meo gratificaturus, in chartophylacijs Senensium, Clusinorum, Ciuitatis nostræ, Casinensium apud nos Monachorum, & Laurentianæ Basilicæ curiosè perquisiueram, & mecum huc allata latère noueram in schedijs, singula eruerem, & conficiundo operi disponerem. Copiolis itaque ad scribendum comparatis, addito & generosi cuiusdam stimulo, qui in Musæolo meo, dum profectionem ab Vrbe adornabam, versabat manibus

quæ-

quæpiã Cl. Io. Meursij scripta (cum in coriaceum sacculum conijcerem mea) in quibus identidem notabat repetitum τὸ *Aeternitatem cogita*, ad me conuersus: Vel hoc ipso, inquit, Laure, scriptionem de Annulo vrgere debes, vt ad Meursium tuum quam primum mittas, probesque te iuxta de æternitate nominis sentire.

Illustri qui cuncta notat programmate Princeps
Præstantium Meursius Virorum;
Si abs te donetur scripto Syntagmate, amici
Laudabere oppidò approbasse verbum.
Annulus æternæ per te sonet vsque Parentis,
At cogitata æternitas Annulus est.

Igitur per Autumni ferias ad Vari seu Varronis Villam ab Aegyptijs (familia est illic primaria) inuitatus profectus sum: quòd illis collibus nihil esset salubrius, nihil Aniene præterfluente amœnius, nihil, vbi fructuosius otiarer, accõmodatius. Tusculi enim Pontificia rusticabatur Aula, Tibure Alex. Card. Estensis, Cæsius, Priulus, & ex Romana nobilitate complures. Periucundum verò fuit (quandò Vrsini Archiepiscopi Tranensis in Commentario semel atque iterum facienda erat mentio)

tio) Aedes illas egregiè cameratas & diſtinctas, pictura & laquearibus aureis exornatas circumſpicere, in quas Sixtum Quartum cum toto Cardinaliũ ſenatu, magnaque Aulicorum multitudine Vrſinus tunc hoſpitio ſuſceperat; cum Peruſini Oratores pro retinendo Annulo ad eũ à Magiſtratu noſtro miſſi, qui Tibure cum Pontifice in reditu congreſſi ſunt. Templum etiam municipij in medio ſuſpexi Diuo Iacobo dicatum, Signaque è marmore quaquauerſum artificiosè ad LXX. excitata, hærentque etiamnum memoriæ inibi inſcripta Carmina, quæ honori Vrſinorum, Peruſini nominis peramantium, hic ſubijcere non grauabor.

Taliacotiadæ Comites, Vrſina propago,
Fundauere ſacrum deuota mente Sacellum.
Hac hæres Trani Præſul de prole Ioannes
Diue Iacobe tibi merita pietate dicauit.

Ergò in Varroniano ſeceſſu Commẽtario informato, reuertor Romam, & do confeſtim litteras Cluſiũ, Peruſiã, Senas, ſiquid ex harum Vrbium ſtatarijs ſcrinijs ad meæ lucubrationis vbertatem poſſim elicere.

Et quia iuuari plurimum videbar poſ-

ſe à

se à celeberrimo Ecclesiasticæ Historiæ, post Cæsarem Baronium Cardinalem, scriptore M.Abrahamo Bzouio Polono, qui diu est, cum apud vos amœniorem Vaticani partem Pauli primum Burghesii Pontificis, deinde Gregorij XV. liberalitate incolit, huic quoque humanissimo viro obstrepere non dubitaui.

Vides, Odde Reuerendiss. quàm non vni fuerim molestus in paterno Cimelio illustrando, tradendaque posteris, quantum potui, diligenter Historia de re, quam non nemo ex nostris aut prorsus ignorat, aut nouit perperam. Iam scriptione absoluta, cum animaduerterem supra modum placere doctioribus amicorum (meo iudicio diffidebam plurimum) vt publicaretur; nec fas putarem illorum suffragijs non subscribere; typos seriò cogitare aggressus sum, incertus tamen, ecquem Libello Patronum adoptarem. Ride verò, Vir amicissime, calami audaciam, non dico meã, quam damnaui protinus, & meum nomen in Epistola Ad Paulum V. iratus confodi. sed vin' dicam sine fuco? Pauli Tertij facta in Commentario mentio scribenti blandiebatur, & tanti Pontificis Perusinorum amantissimi cogitatio

me ad æquè beneficentissimum atque amãtissimum transducebat. Quique oblatis alijs ingenioli nostri munusculis adeò humaniter iterum ac tertio fueram à clemẽtissimo Principe antea exceptus, vt etiam abierim non indonatus; feceram scilicet mihimet animos, quanquam tantula in re nimium effrontes. Scriptionem vbi percurreris, fac concerpas.

Paulo Quinto Pontifici.

Lex Persarum fuit, Pater Beatissime, vt non prius ad congressum Regis quispiam admitteretur, quàm procumbens in genua, ipsum adoraret: quam legem Ismenias Thebanorum legatus tametsi auersabatur; ne tamen, ob denegatum Regi obsequium, re infecta, discedere cogeretur, perlepidam rationem inijt eius consuetudinis per speciẽ obeundæ, & Thebanæ dignitatis retinendæ. Ergò ad Persici conspectum Regis adductus, Annulum sibi è digito detraxit, & ad ipsius pedes clam proiecit: vt nimirum in eo colligendo pronior factus, Regem de more adorasse crederetur. Quod Thebani Viri inuentum quem-

quemadmodum ego, Pater Sancte, non vituperauerim, ita sinceram tuis beatissimis pedibus deberi demissionem & oscula verè noui. En igitur quandò pro fusissima in altissimo fastigio humanitas obsequentissimum quemq; inuitat, haud quaquam proiecta gemma, sed verissima inclinatione tuis pedibus aduoluor, ANNVLVM sublata manu tenens, offerensque; idque tanto æquius fidentiusque; quanto deferri iampridem decebat illum Sixto IV aut Innocentio VIII. Pontificibus, qui flagrantibus Patriæ meæ studijs in eo sibi strenuè vindicando, paternè affuerunt. Et quidem sub Sixto Ruuereio inter Perusinos ac Senenses flammæ controuersiarum ingentes exarsere; neque, quoad vixit, vnquam compressæ. Restinxit penitus qua sapientia semper inclaruit, Innocentius Cybò, & eiusmodi conditionibus vtrinque composuit, quas nostri voti compotes toto pectore complexi sunt, & Senenses curarum iam, quas pro socijs susceperant, pertæsi, minimè recusarunt. Potuisset verò maiorum nostrorum alius Paulo III. Farnesio ea in re, si misisset in litteras, gratificari plurimũ, qui creberrimè Pronubum Mariæ An-

 nulum

nulum Perusiæ,dum Arcis exædificationi maturādæ,illuc quotannis commigrans,immineret,cùm inspiciebat diligenter,tū religiosè venerabatur. Ceterū hæc in tuæ spē gratiæ, qualis qualis ea sit, emittenda à nobis lucubratio erat,Paule Quinte Pontifex sapientissime, qui & propter auctoritatem tanti donarij amplificare existimationem posses,& propter summum in Deiparam cultum in primis velles. Enimuerò apud Antiquæ Vrbis Senatores, iracundiæ significatio nulla censebatur maior, quàm si,excussa manu,abiecissent Annulum: à qua cum tua excellens pietas, & singularis pietati coniuncta comitas valdè abhorreant; sequitur illud,vt audaciæ meæ veniam tam non grauatè daturus sis; quàm eius improbandus conatus non videtur, qui rem sacram maximo sacrorum Antistiti offerre non dubitauerit. Valeat feliciter tua Sanctitas, & ad Christiani gregis incolumitatem diutissimè imperet. In Vrbe Roma 1610.

Atqui paucis post mensibus Paulus abit è viuis, & conuerso rerum Aulicarum orbe, longè mihi alia mens; alia studia, aliæ occupationes incubuere.

Vos

Vos à Gregorio XV. vocati in Vaticanum, consilijs rerum maximarum Bellarminus admouetur, tibi Præsidatus deferuntur; sed mauis Romæ, ac Roberti in familia priuatim viuere, quàm domi cum imperio alienæ. Interea ad Vrbem Principum, Ducum, Ciuitatum Oratores confluunt: adest Præsulum atque Antistitum recenti sacrorum Antistiti summo gratulaturus ingẽs cœtus. In his Scipio Pasqualius Episcopus Casalensis, Vir probitate, doctrina, atque eloquentia magnus: tum V. Cl. Gaspar Scioppius, in omni disciplinarum ac linguarum genere exercitatissimus. Hos vna cum cetera doctissimorum Academicorum cohorte de Cõmentario edendo consulo: dumque Barclai suffragium iterum exquiro; en is febri acutissima correptus (ò vitam hominum fugacissimam!) viuere inter nos desijt.

Sed plus satis de eorũ cõsilio, qui nos ad Annuli publicationem animabant: propè vt verear, ne, quæ res ad coronãdum antiquitus Cor inuenta perhibetur, eadem te tædio enecet institutam aliquando scriptionem absoluere gestientem. Sit igitur epistolæ modus, vbi ea Prudentij carmina subiecero, quorum exẽ-

plum cupiebas, cum ad eum Commentarij locum legendo peruenisses, vbi de Annulo in Cælum recepto meminerarmus. Conquerebatur Aurelius Clemens olim à blasphemo satellite sublatas martyrij paginas, & complura illorum Martyrum inuido vetustatis dente consumpta, eam saltem laudem non mansisse occultam, nec fore, vt vllo vnquam tempore consenesceret.

Missa quod sursum per auras
Euolarunt munera,
Quæ viam patere Cæli
Præmicando ostenderent.
Illius fidem figurans
Nube fertur Annulus,
Hic sui dat pignus oris
Vt ferunt, Orarium.
Quæ superno rapta flatu
Lucis intrant intimum,
Per poli liquentis Axem
Fulgor auri absconditur,
Ac diu visum sequacem
Textilis candor fugit,
Subuehuntur vsque ad Astra,
Nec videntur amplius.

Hos

Hos versus cum relegeret Hector tuus, fassus est obortas sibi tenebras in Orario, qui neque ex oris pignore, neq; ex candore textili aliquid ingenio suo affulgere lucis animaduerteret. Quid plura? rem homini ex Augustini Scholiaste indicare habui, interpretatusque sum velum, mantile, sudarium.

Quas verò adieci disertissimas laudationes, leges opinor citra molestiam; vel quia nobilissima procuderunt ingenia; vel quia sacrum argumentum narrant, hoc est, MARIAE VIRG. ANNVLVM. Nam gentilis mei Anacreonticum, palato meo suauissimum (à via, seu circulo lacteo, qui fit quidam Cœli Annulus, carmen deduxit) delitescere in schedijs diutius non patiar. Hæc porrò tabula velut è naufragio scriptorum ipsius seruata est; & habitus est Poëta olim in Vrbe non ignobilis Asterius, sic nomen fuit, de quo illud magna cum animi voluptate è Cardinalis Iustiniani, heu nuper vita functi, MS. Bibliotheca excerpsi: Asterium Balestrinum in Exequijs Platinæ anniuersarijs in Aede S. Mariæ Maioris, Demetrij Lucensis, Platinæ alumni rogatu, Carmen elegia-

cum longè optimum recitasse post Orationem à Pomponio Romano xviij Aprilis 1481. habitam.

Nuper silente nocte,
Cum Siderum phalanges
Scena explicaret axis:
Ignium minutulorum
Galaxia hospitatrix
Se obiecit intuenti.
An pulchrior Corona
(Inquam) Polum liquentem
Colorat, ambit, ornat?
Tum visa vox reponi:
Dignior sit ille Circlus,
Qui Augusto splendet orbi,
Qui flammeos maniplos
Obruat nitentis æthra.
Ille nempe Nuptialis
Illustre pignus Arrhæ;
Mariæ parentis olim
Digitos ligat maritos,
Ad coniugale pactum.
En Annulus coruscans
Candore uincit Astra:
Quem protinus salutat
Cælestium Chorèa;
Lumenque ab orbe pulchro
Mutuatur, & triumphos
Sponsalis offert Arrhæ.

Pe-

Perusinam Patriam Cæsar Laurentius ex Card. tui Societate, Hexastico salutauit, cui nouum Poëseos Italico-latinæ genus ingeniosissimum acceptum referimus. Mutuatur ab Etruscis aucupium soni, legibus ac decretis metrorũ veterum ex arte seruatis. Lege ad exhilarandum animum, quod Insensatis atque Eccentricis nostris exemplũ paro.

PRO SOLE, QVO IRIS Gregorij XV. pingitur, aduersus Othomannicam Lunam.

Hoc Othomannæ malè fida sortis
Luna ingemiscat, Luna perduellis,
Solique regum Principi rebellis,
Luna quæsita rea dira mortis.
Dumq; Auernalis Coluber cohortis,
Crudescit atris ignium procellis,
Conuulnerata cornibus gemellis
Ictibus pessum cadat irretortis.
GREGORI, Ratis ò salutis vna,
O digne Cælo, Cælitumq. prole,
Ipse dux fortes animos aduna.
Mox sua Thracis ruat Aula mole;
Namq; Othomanna, Thraciaq; Luna
Maior es, quanto minor illa Sole.

Peru-

Sed Perusiam ita allocutus est.

Quòd tibi virgineæ tribuatur tessera dextræ,
Pura maritalis tessera coniugij:
Hac, Augusta tuos inuertere gestit amores
Diua Parens, sis vt mente reuincta Polo.
Nempè potens vinclum, Perusina quòd alliget Astris
Pectora, Virgineus non nisi præstet Onyx.

Commodùm ista mittenti in litteras superuenit vtriusque nostrum amantissimus, Franciscus Fuccius Tiphernas Bene. olim Card. Iustiniano in paucis carus, postridie cogitans Neapolim; qui scilicet huius argumento epistolæ admodum delectatus, vt est ingenio peracuto ac memoria exprompta: permitte, inquit, vt & ego meam symbolam cōferam: quid dico meam, iampridem alienus à Musis tuis? Titi Strozzæ potius, cuius de Annulo prophanum Epigramma momentò inuertam, truncabo, interpolabo. Qualem famulatum Camœnis sacratioribus, transductas ad amatoriam væsaniam decet impendere. Sic igitur Te atque Annulo insalutatis non abiero. Perinde verò ac Laurentiano in Sacello illum ipsum sensim euolutis funibus labentem intuerer, eundemque B. Vir-

B. Virgo mihi dilargita esset, Strozzianis carminibus, quæ quidem extemporalis pronunciandi celeritas ad hunc modum consecratum it, compellare non verebor.

Annule dulce mihi stellantis munus Olympi,
Annule delicias inter habende meas;
Tu licet excellas Onyche pretiosus, & in te
Lilia sint docto picta magisterio;
Est aliquid, mihi quo meruisti gratior esse;
Te tulit in niuea Virgo pudica manu.
Illa etiam dono cum te mihi tradere vellet,
In primis monuit, quàm sibi carus eras.
Mecum igitur semper noctesq; diesq; manebis,
Mille tibi amplexus, oscula mille feram.

Nec Ioannis Matthæi Tolentinatis reticere versiculos debeo, etsi paullò obscuriores, in quibus Magicos Annulos innuit. Tradit enim Damis, Annulos septem ab Iarcha Indorum sapientum Principe doctissimè compactos, & Stellarum totidem nominibus insignitos, quos singulis diebus acceptos, iuxta dierum appellationem Apollonius Tyanæus gestasse perhibetur. Meminit etiam Annuli Salomonis Regis, qui (Gulielmo Amero teste) duplicem coronam, auream & spineam inter se connexas insculptas habebat, mutua in-

scrip-

ſcriptione inſignes: hinc AMORIS VI CTORIA : illinc AMORIS COGNITA FORTITVDO .

Ex eo duplicem Chriſti naturam fuiſſe adumbratam , ab aurea corona diuinam, à ſpinea humanam, de Regina Saba, quæ curioſius Salomonem interrogauit , didicimus . Tolentinas breuiter expreſſit .

Mirari Orbiculos iam dèſinat hoſpes Iarchæ ,
Geſtaſſe & digito quem Salomona ferunt. (hinc
Hebdomados iuuat vſq; dies Mariæ Annulu , atque
Vincentis Virtus cognita, victus amor .

Lege etiam , quæ adoleſcentulis nobis in Quinctiles illas tenebras olim exciderunt , coniectis in xii. domunculas, quas hic tamen non delineauimus, Siderum coitionibus , quæcumque per eos dies obſeruari potuere, ſubnotato litteris Chronographicis Anno MCCCCLXXXVI. quo Innocentius VIII. Pont. pro Peruſinis aduerſus Cluſinos & Senenſes pronunciauit.

Quæ noua Cælo
Vis creat Vmbram ,
Quæ Peruſinis
Imminet arcibus ?

Et

Et tũ immodicis feruoribus æstuat aer.

Sol luce premit
Terga Leonis,
Signaque signis
Obuia feruidis
Summa, ima vrunt.
Interim afflicta
Gryphidos Vrbi
Propè uiceni
Periere dies.
Dum sensim suum
Redit in gyrum
Caligo vltrix.

Verum arcana dies, atque impenetrabile lumen
Numinis æterni, Cælo obluctante, nigrantem
Stare iubet nubem, exiguus dum prodeat orbis,
Qui Mariæ digitos, totumque exambijt Orbem.

XySto rVVerelo,
InnoCentIo Cybò pont IfICIb.
perVs, popVL.
fCbæ Ma pof.

Alia aliorum reticeo, quia meis laudibus permixta sunt, quibus certè amor imposuit, quibusque ad eam rationem amici laudes in amoribus esse solent, qua consueuerunt illa, quæ in Annulis exarantur, atque inciduntur. No-

sti

ſti illud Prouerb.7. ſerua mandata mea & viues; & legem meam, &c. liga eam in digitis tuis: hoc eſt, in Annulis incide, quibus digiti indui ſolent.

Ad Annuli dignitatem pertinet Iambus, cuĩ inſpectus in Muſæolo meo Ioãnis Dryandri & Boneti de Annulo Aſtronomico aureus liber occaſionem dedit.

Eſt, qui loquaces temporis taciti notas
Diſtinguat Index Annulus, doceat Poli
Biſſena ſigna, & Solis obliqui rotam.
At Virginalis Pronubus certiſſimam
Beatioris indicat Cæli plagam,
Solemque verum, & ſtabile Vinclum coniugum,
Quod ima ſummis nexuit, Olympum ſolo.
Nil iam ſonent Dryander, aut Bonetius.
Quò Laure, maior Annulus Aſtrifico eſt tuus,
Hoc es Dryandro maior, & Bonetio.

Deniq; deductum à Signifero circulo Hexaſticon finẽ huic Epiſtolæ imponet.

Quæ Rota Signiferi Mũdũ, velut Annulus, ambit,
Et Lunæ ac Solis ſemper ab igne micat:
Par tua ſignifero eſt, Vrbs ò Peruſina, iugalis
Teſſera, cui Superum plurima lampas adeſt.
Luce fauet, quæ geſſit, qui & tetigere viciſſim
Anna, Ioſeph, Ioachin, Chriſtus & Alma Parens.

Ia

In quorum nomine desino, & te incolumem vna cum illustriss. Bellarmino diutissimè florere voueo. Ex Aedibus in Vrbe 1621. Nonis Iulij.

D. Io. Baptistæ Lauro V. C. Iacobus Loganus Scotus S.D.

INter cimelia Θεοτόκου sarta tecta, & μακαρίτων exuuias, Almæ vestræ Italiæ ταμεῖον & apotheseωn ἀποσπερμίαν meritò nuncupauerim ANNVLVM illum tuum PRONVBVM, quem prægnans tandem parturiens peperit felix ingenium tuum, tenuem non gloriam & μαίωτρον meretur: seu schismaticorum malè feriatorum, & scepticorum, anscopticorum ἐπίχην in siderato hoc propemodum sæculo & paroxysmum intueamur: seu λοξοῦ illius Draconis decumanum fluctum, qui B. Petri nauiculam elidere, vt cum B. Ioanne loquar, ποταμόφορητον reddere nitebatur: imò hoc tuo ANNVLO Pronubo, tanquã fræno Antagonistarũ ἐπιμύειν in promptu est; quoties anathemata sanctorum animaduerto, tot ἀναθέματα & maranata Hæreticis cernere est. His fides catho-

DeiMatris. Beatorum. Promptuariũ Seminarium Pretium obstetricis Suspensionẽ Tortuosi Apoc. 12. A flumine abreptam Os obstruere Maledictiones

lica suffulta durat, rumpantur vt ilia Codro. Cæterum quæ hypomnemata in rem suggerere possim præ temporis angustia, & librorum curta supellectile, tum argumento non satis mihi trito, Vir Clariss. facilis accipe, & in bonam partem interpretari digneris.

Pro comperto est, verum matrimonium fuisse B. Virginis, licet χρηστρύγετον (*Latibulum*) comminiscantur leptologici inter desponsam & nuptam. Grauiores tamen Patres asserunt nuptam, quod & illud μνηστευθείσης (*Matt. c. 1 Desponsata*) arguit, sicut & παραδειγματίσαι (*Trad c're*). & virum tuum. Sed in alienam segetem falcem inijcere non est animus. Certè si hebræum consulas *Zattan*, desponsare, quo vocabulo vtitur Euangelista, siue affinia *adape*, desponsare palam, siue *lagnad*, quod conuenire congregare, despondere, adhibita attestatione vel aliquo signo exteriori, vt Exod. 28. cap. vnde ipsa sponsalia K *edosegim* (*Sancta*) dicta sunt, annexum fuisse Annulum, aut signum aliquod externum obseruant rerum antiquarum peritissimi, & receptam consuetudinem fuisse apud omnes gentes Annulum Pronubum in sponsalibus, in propatulo est, quod neruosè & accuratè in ipso opere probas.

(*Chrysost. hom. 4. in Matth. Auct. operis Imperf. hom. 1. Ambr. lib. 2 in [Luc]. [Theoph.] in Comment.*)

Du-

Doctorum omnium suffragio asserta in dubium vocare, spiritus est vertiginis, & ἱέρα νόσος, hæreticorum ἴδιον quarto modo. Et certè mihi persuadeo πολυποίκιλον θεοῦ σοφίαν, quæ omnia sapienter, benè, suauiter & potenter disponit, noluisse Gemmam hanc perire, imò qui capillos capitis numerauit, & Stellas Cæli, & arenam maris admensus est: ANNVLVM hunc Pronubum nonnè illibatum custodiret, χοίτωνος intemeratæ Virginis Mysterium? Vnde huius Annuli scientia extet, palam est argumento ὅτι & à posteriori. Miracula enim passim edita (nisi cæcutire velimus in media luce) testantur & probãt: nam veritas index sui per se. Accessit sacrosanctæ & irrefragabilis Ecclesiæ Christi sponsæ testimonium & sententia. Adde etiam tot concertationes, & mutua propemodum gesta hinc inde Perusinorum bella cum finitimis. Quippe si grata parentum memoria & cara à natura omnibus insita est; si casta & sancta Coniugum parapherna; si studio improbo & sagaci multis à retro sæculis aurea, argentea, ærea numismata & huius generis teretismata conquisita, & inuenta seruamus; qua animi cura

Sacer morbus proprium. multifariam Dei sapientiã

puergerij

ra Matris, ad quam in valle hac lacrymarum clamamus absentes, μνήμοσυνον seruare debemus? συγκληρονόμοι D. N. Iesu Christi filij eius facti nonnè Magnæ Matris pignus omni obsequio colamus ac veneremur? Non hic Laure, Gygis, nec alterius felicis Annulum tractas. Scimus nos quem colimus. Macte Vir integerrime; debetur hoc Deo, Ecclesiæ & Sanctis: neque irritus erit tuus labor in Domino. Hoc poscit pietas, hoc charitas in Deum & Dei Matrem. fœneratur enim, quod in ipsius Matrem erogatur. Amanuensis eius es & famulus, penna & atramento satages, vt viuat apud homines. Illa, crede mihi apud Deum & Cælites, οὐ μέλανι, ἀλλὰ ἐν μνήμῃ τοῦ θεοῦ agit, vt viuas in æternum, imò pro te interpellat Charitas: quippe πατρία οὗτος ὁ πάτερ. debes hoc, & quidquid in te est, Augustæ PERVSIAE. hoc enim verum est ἀντιπελάργειν. Felix Perusia, quæ te talē alumnum & encomiastem genuerit. Tu felix, cui tale argumentum benè merendi oblatum: felix hactenus inclytæ Ciuitatis constans erga Deum & homines fides inuiolata, toti Orbi conspicua; ad cumulum accessit B. Virginis Deiparæ obsequium,

Memoriale coheredes.

Non atramento, sed in memoria Dei.

Patria sicut pater.

vicem rependere.

quium,

quium, quod perenne opto & voueo. Moue te,& promoue Vir Clariſſ. in hoc aſceterio. Deum Patrem habes agonothetem, Filium xyſtarchen, Spiritum Sanctum brabeuten, & Deiparam Aduocatam habes, Nos tibi inſeruientes. Salue & Vale. Romæ è Muſæo Kal. Maij MDCXXII.

Io. Baptiſta Laurus S. D. Alexandro Baleſtrino I. C.

Peruſiam

RElegebam per otium, cum accepi Epiſtolam tuarum Nuptiarum indicem, nonnullas popularis noſtri Iacobi Antiquarij; eaque in primis occurrerat, qua Paullo Magno gratulatus Neptis nuptias, eidem Annulum dono miſit, monens, vt in digitum, qui fibram ducit à corde, ita inſereret, vt non tam ornatum articulum, quàm in illo ſui memoriam collocatam exiſtimaret. Iamq; non multò antè à peregrinatione Lauretana reuerſus, repetebam animo conſpectum Annulum, nobili gemma inſignem, à Duce Cliuiæ B.

Virgini donatum: nec non Oeconomi Bauari Annulos binos, adamante ac pyropo illuſtres, inuicem inſertos, quibus inſcriptum legeram; *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*. Quid quæris? venit & mihi in mentem eiuſmodi aliquid tibi, coniugique tuæ elargiri noſtri erga vtrumque amoris non illepidum monumentum. Nec verò aureos argenteoſue re ipſa Annulos expectes velim. Horum præſtantiam longè ſuperat, & adamantibus, ſmaragdis, margaritis maximè anteſtat, quem vobis mittere decreui, & eſt vnus, ſimplex, nullumque lapillum paullò precioſiorem in pala gerit: ſed eſt totus lapis; vtrum mauis, Onychen, Calcedonium, an vulgatiorem Amethyſtum. Vah rudem! inquies: remque appelles parum me, vobiſque dignam. Ceterum quid ſi illum Deipara Virgo, vbi Ioſepho nupſit, ab ipſo accepit, digitoque inſeruit ſuo? Is nempè eſt, cuius Hiſtoriam breui Commentario expoſuimus, quem tuis nuptijs nobilitandis peridoneum noſtra tibi neceſſitudo liberaliter obijcit. Tu accipe quàm libentiſſimè, & vna tecum Fauſtina vxor ſæpius verſet manu, vterque hinc mutuum hau-

ſturi

ſturi amorem, & ſperatæ fœcunditatis certiſſimum præſagium. De Centimetro autem meo, quod petieras, in COR S. Caroli, deſperata res eſt: nuſpiam reperitur, nusquam comparet. ò parum fauente Genio concepta lucubratio! ò infelici ouo prognata fœtura! nacta quidem, vt demum comperi, haud furaces manus, ſed apud amicum caput edaces ignes. Ac ne prorſus mœrore enecer, facit inſolens ac propè ridiculum infortunium, quod incurrit. Scis per eos dies, quibus Mediolano Romã illud aduectum eſt, vniuerſa illa Epigrammata à me matutinarum commentationum loco effuſa, & in volumen redacta, ac Marcello Lanti Cardinali Patrono humaniſſimo oblata. Legit ſcilicet religioſiſſimus Princeps multa cum ſpiritus ſuauitate: poſt hebdomadas aliquot reddidit; tum præcipuis amicorum oſtenſa, diſtracta, & quaſi edita in publicum nulla typorum ope. Interea nos bis terue hinc Tuder, Tudere Romam commigrauimus; negotia ſemper imminent, curis aliò traducimur, ſic vt menti quiduis aliud adhæreſceret, & ſacroſancti Cordis corde exciderit cogitatio. Nuperrimè verò dum Pro-

nubi Annuli editionem vrgeo, qui ad coronandum Cor, idemque exhilarandum inuentus memoratur: Borromæiani Cordis blandior redijt animo ſpecies: & iam carendi impatiens, confeſtim recordor, Exemplar à me iamdudum Egnatio commodatum. Nulla mora, repeto, grauibus conuicijs vtor, ac plagij crimen tantum non impono. Ecce homo clamans ad me, fidemque hominũ obteſtatus, verbis atrocibus furtum & flagitium renarrat. In arculam benè obſeratam conieciſſe ſe ait pecuniarũ plurimum, & vnà ſcripta quæpiam cariora abdidiſſe, in quibus eſſent & noſtra: peſſimos nebulones ipſius loculis inſidiatos, quibus è ligneo ergaſtulo argentum ſuboluerat: die quodam acceptam arculam in conclaue abduxiſſe, & ſuppoſito arido pabulo compoſuiſſe ſub camino, ſtatimque conceptis flammis è diffracto conditorio ſemiuſtulatum marſupium abſtuliſſe, egregiè Plutum extrudētes per Vulcanum. Ex quo ſanè incendio maius vtriſque ſcriptorũ damnum eſt obiectem, quàm vni Egnatio pecuniarum. Quòd multa? Riſi pariter ac dolui, & memoriæ continuò occurrit Germanici mors, cuius cremati

Cor

Cor inter ossa incorruptum repertum traditur. Quod videlicet veneno tinctum igne confici non possit. Enimuerò ecquod pestilētius venenum Cor afflet, quod cum argento conferri queat? Atqui perierit licet Borromæiana scriptio; aliqua iacturam farciemus. Ille interim, cuius fortasse laudes minus pro dignitate à nobis fuerant expositæ, vobis mihique perpetuò fauens adsit.
Romæ Kal. Nouemb. MDCXXI.

Ioanni Baptistæ Lauro Hieronymus Roccus S.P.D.

Romam

Fœnerabit tibi ampliter, mi Laure, de Coloniensi Vrbe atque Annulo honorifica mentio, quam fecisse te in Commentario de Pronubo illo B. Virginis, quo Perusini tui meritò gloriantur, hic quoque fama narrauit. Post Paschatis ferias Centurias Epistolarum tuas hic recusas videbis. Pro Virginali Historia deferimus typos, nec tardabis mittere. Illustrissimus Nuntius Dominus meus tibi impendiò fauet: ego nihil

hil magis cupio, quàm votis tuis ire vltrò obuiam, quò amorem mihi tuum valeam in dies arctius adstringere. Vale Coloniæ Agrippinæ. Postridie Natalis Domini MDCXXI.

Ioannes Baptista Laurus Perusinus M. Fortunato Scaccho Augustiniano

Bononiam.

MAlè precatus sum occupationibus meis, tuæq; subitæ profectioni, quibus est factum, ne plura tecum coram. Nam scriptorum meorum aliquid ad doctissimum Thomam Dempsterum sepositam, cuius fasciculus veredario, vt scribit, nobis vt redderetur, creditus, valdè vereor ne perierit in itinere. Duodeuiginti abierunt dies, nec eruere adhuc alicundè possum, qui Tabellariorum in reddendo fidem nunquam desiderare consueui. Iuxta mecum sollicitus est Illustrissimus Comes Francjscus Maria à Montenetere, qui cùm litterarijs conatibus nostris fauet plurimum, tum Dempsteri gloriæ ex animo studet. Volebam tamen in Commentarij calce eius postrema ad me extaret Epistola; vel quia de Annulo Iudæorum Pronubo rem indicabat: vel quia HETRVRIÆ REGALIS, operis à se confecti apud Mediceos delitescentis, meminerat, quod Hetrusci omnes mercemur magno, & cupidissimè legamus, simul vt Ciues mei nossent, vnde de communi Patria exquisita atque recondita quirent haurire. Sed fucum Lectori factum existimassem, si post promissa non appareret. Itaque me inuito, felicissima, hac coronide carebit Liber. Virum Eccellentissimum saluere iubeo peramanter, & te de absoluendis sacrorum Elæochrysmatôn Myrothecijs seriò cogitare. Vale Romæ Kalendis Iunij MDCXXII.

Per l'Anello, con cui fù sposata la Vergine à San Gioseffe, il quale si conserua nella Città di Perugia.

LA preziosa gemma, onde s'vnio
In nodo marital Sposo terreno
A celeste bellezza, il cui sereno
Sguardo accese d'Amor gli Angeli, e Dio.
Da qual conca Eritrea si pura vscio,
O da qual Garamantico terreno?
Ma il Mar non hà si ricche gemme in seno,
Nè la Terra sì chiare vnqua n'aprio.
Certo nel Ciel fù scelta, ed è di quelle
Porte gemmate, od in quel Mar si crea,
C'hà letto di Zaffir, margo di Stelle.
E ben d'alta materia esser deuea
Gemma eletta da spiaggie eterne: e belle
A i .... Imenei d'immortal ....

Al Signor Giouan Battista Lauri
Per la sudetta materia.

LAuri, à quel ricco Anel, che fù di fede
Pegno à Maria ne' Talami giugali,
Veggio fatti i tuoi fogli eterni Annali,
Che non temon di tempo auare prede.
Le sue gemme stellanti il Ciel gli cede,
Se'l temprarò sul Ciel fiamme immortali,
A cui dier fiato i Serafin con l'ali
Dalla più gloriosa Empirea sede.
E in offrirlo tua penna a gl'occhi nostri,
Te suo Scrittor, lui tua materia ammiro
Chiara vi è più ne' tuoi famosi inchiostri.
E ben fia, se da lungi il dritto io miro,
Che del tuo stile in lui ci auguri, e mostri
L'Eternità misterioso il giro.

Del Signor Caualiero Fra Tomaso Stigliani
Alla Città di Perugia.

NOn perche l'arti Grecbe, e le Romane
Tu insegni e'l dir Argiuo, ed il Latino,
Nè per mill' altre, c'hai doti sourane
D'industria, di natura, e di ....
Tutte, o Perugia, le Città montane
Ch'incoronan la fronte a l'Appennino;
Ed ogn'altra seconda à te rimane
Dal Tosco a l'Hadrian lido marino.
Mà sol perche possiedi in Tempio pio
Il sacro Anello, onde sposata fue
La genitrice altissima di Dio;
Questa è la somma de le glorie tue,
Questo fà inuidia, non ch' al Mondo rio,
Mà al Ciel istesso, ed à le sfere sue.

Di Monsignor Seta Vescouo d'Alife.

GEmma non hà; non è d'argento, ò d'auro
Formato il sacro ANEL, cui diede il giusto
Sposo à Maria, che soura'l Colle Augusto
Si serba, e di ch' ordisce Historia il Lauro,
Nullo (ricerca pur da l'Indo al Mauro
E da la fredda Scithia al suolo adusto
De l'Ethiopia) mai Rege, od Augusto
Si ricco, e si pregiato hebbe thesauro;
Che s' or rimiri, ò gemma, argento, ò smalto,
Di ch'altri Anelli fabrica human'arte;
In terra qualunque altro origin prende:
Non è terreno questi, in Terra parte
Non hà: celeste gli hà candor, da l'alto
Cielo à sposar di Dio la Madre scende.

Canzone

Canzone sopra il sacro Anello, co'l quale fù sposata la Beatissima Vergine Maria Madre di Dio.

Del P. Giò: Maria Paulucci Tramontano, impressa già nel 1581.

SAcro, & beato Anello
De l'eterna del Ciel Diuina Sposa,
Gemma rara, e famosa;
Pegno felice, auenturoso e bello
Del nobil Colle Augusto,
Per te pur troppo vile, e troppo angusto.
Cerchio santo e sacrato
De gl'aurei giri e del bel Sole ardente
Più chiaro, e rilucente:
Lume, ch'à noi dal Ciel per gratia dato,
Di tal bellezza splendi
Che luminosa e chiara ogn'alma rendi.
Ben de più chiari e belli
Cerchi del Ciel sei tù più bello, e chiaro,
E più pregiato, e raro:
Che se la terra à noi circondan quelli,
Tù più degno e sourano,
Circondasti à MARIA la sacra mano.
E de l'aurate Stelle
Più nobile & eccelso il tuo splendore,
Poich'esse il lor candore
Dal Sole hanno, e per lui son chiare, è belle;
Mà tu luce diuina
Riceui da MARIA del Ciel Regina.

Più splendido, e giocondo
E il lume tuo del Sole, e de le stelle,
Poiche se questo, e quelle
Dan lume à i corpi, e fan più chiaro il mondo;
Tù co i tuoi santi rai
Dai lume a l'Alme, e'l Ciel più chiaro fai.
Nè già senza mistero
Fra gl'Angeli, e fra i lumi à noi descendi;
Segno chiaro ch'accendi
Di quell'ardor, che nel celeste impero
Son le superne menti
Dio rimirando eternamente ardenti.
Pietra ben pretiosa
Assai più d'altra pietra, e d'oro fino,
Gratioso Onichino,
Pietra forte, splendente, e luminosa,
La cui forza, e chiarezza
L'oscure illustra, e l'alme dure spezza,
Sani'l sanguigno humore
Con quel dono che diede à tua natura
Quel che del tutto hà cura;
Mà con gratia più eccelsa il rio calore
D'impudicitia sani.
Poiche stringesti già Verginee mani.
Gemma candida sei
De mille bei colori ornata, e tinta,
Da man celeste pinta,
Onde ben chiaro additi, e mostri lei
Pura, & immaculata
Di mille doni, e mille gratie ornata.
Mà di tanti colori
Forse l'Iride sei si bella, e vaga,
Che tanto gl'occhi appaga,
Di Dio fra i nostri nubilosi cuori,
Posta in segno verace
Di nuoua, eterna, e inuiolabil pace.

Tù

Tù posto in bel giardino
Di vaghi fiori, e belle piante ornato,
Specchio te so, e purgato
(Che tal rassembri à noi vago Onictino)
Di quelle piante, e fiori
Mostri varie beltà, vari colori.
Così figuri, e sei
De la Signora tua simbolo vero,
Che nel giardino altero,
Dal sommo Rè de i Rè locata in lei,
Fiori di gratie sante
Fà risplender ogn'hor de' Santi, e Sante.
E pur prato fiorito
Chiamar ti puoi, che di bei fiori adorno,
Vago sei d'ogni intorno,
E quel sì bianco tuo candido sito
Pura neue simiglia:
Dunque tra neue i fiori? ò merauiglia
E ch'altro ciò dimostra,
Se non che tanti doni, e gratie tante
Del Ciel l'eterna amante
Diffonde à noi da la stellata chiostra?
Mà non duri, & ingrati
Qual neue, e ghiaccio siam freddi, e gelati,
E qual maggior amore
Mostrar potea de la magion superna
L'Imperatrice eterna?
E pur sì duro, & ostinato è'l core
Ch'ad amar non si moue,
Chi tanti benefitij inonda, e pioue,
S'è tanto grato e accetto
Dono tal hor di nobil donna, e sposa,
Ben che minima cosa,
Che fora poi se con a dente affetto,
E con benigno volto
Donasse'l proprio ANEL da le man tolto?

Ahi

Ahi che del sommo Dio
La cara sposa, e vera Genitrice,
Del Cielo Imperatrice
Hà dato à noi con dolce affetto, e pio,
Del Dito sacro, e bello
Con cui fù già sposata il proprio ANELLO.

O pretioso, e raro
Di sì gran Diua glorioso pegno
Ben manifesto segno
Dell'amor suo, non mai di gratie auaro:
Vergine, e che vedesti
Di buono in noi, che sì gran don ne desti?

Che dunque renderai
Perugia mia per sì gran dono, e tale,
A Regina immortale?
Poiche degna di lei cosa non hai?
Ma se pur vuoi donare,
Donagli un cuor bramoso ogn'hor d'amare.

Vergine tù dal Cielo
Volgi de i sì pietosi lumi tuoi
Quei dolci sguardi a noi,
Con quell'alta pietade, e con quel zelo,
*Che de l'*ANEL *sacrato*
Ne fe dono sì raro, e sì pregiato.

E se l'iniqua e ria
Belua infernal de la cauerna oscura
I cuori, e l'alme indura;
S'adempia quel del gran Vate Isaia
Sacro detto, e celeste
Anel tuo poni à le tue nari infeste.

Tù sacro Anello, e degno,
Che dono fosti à noi, di nuouo à lei
Nostra offerta esser dei,
Teco offriremo il nostro cuore indegno;
Onde sia teco vnito
A la Madre di Dio dono gradito.

Deh

Deh se talhor legasti
De i due gran Sposi in Verginal'amore;
Caldi di santo ardore
Quei cuor pudichi immaculati, e casti;
Lega i cuor nostri ancora
Ne l'amor di sì dolce, e pia Signora.
E nel final giuditio
Saluaci da sentenza aspra, e tremenda,
De la gehenna horrenda,
Condennatrice a l'infernal supplitio,
Come la Donna Hebrea
Saluò l'Anel da morte acerba, e rea.
Padre de i Ciel superno
Deh mira, e se conosci di chi sia
L'Anel, se di Maria
Tua Sposa, e Madre del tuo Figlio eterno;
Da l infelice sorte
Nostr'alme salua, e da l'eterna morte.
Musa tù che girasti
Con vane rime, al vano Mondo intorno,
Girati à quest'Anel di gratia adorno.

Del

DEL SIGNOR STEFANO GEORGI Raguseo.

Al Signor Gio: Battista Lauro.

HOr che quel pretioso almo tesoro,
Ch'ornò la bella, e sacrosanta mane
Di lei, ch'adorna il bel celeste choro,
Da cui già trasse Dio sembiante humano,
Splende e riluce più che gemme, & oro
Qui nel tuo chiaro stil soaue e piano,
Il tuo felice, e non caduco Alloro
Erge l'altera fronda al Ciel sourano;
Si che quivi di lui faran leggiadre
Ghirland. eterne, in puro zelo accense
Soura il lucido crin, l'anime sante.
Liete cantando ogn'hor le lodi immense
Di quella ... ch'al suo diuino amante
Fu sempre Vergin Figlia, e Sposa, e Madre.

INDEX

INDEX.

A

An-

Cla-

D

N

Q

R

Sphra-

Vota

FINIS.